



K 44.





2

# POLYMATHIA MATHESEOS

SEV  
HVIUS  
IN  
RELIQVM VNIVERSÆ ERVDITIO-  
NIS AMBITVM

# INFLVXVS

QVAM  
DIRIGENTE

DANIELE STRÆHLERO  
PH. P. P. O. & MATH. EXTR.

IN  
QVADRVM NVMERVM QVE REDEGIT  
FRIDERICVS AB ARENSTORFF  
EQVES IVTHA - DANVS.

---

HALAE SALICAE  
LITTERIS LEHMANNIANAE VIDVAE.  
AN. MDCCXXXV.

ALHITAMKUON

ZOHREBUD

ALHITAM

HVAS

MYTID

EWXWELD

MAUD

ORHINNA





## AD LECTOREM.



Athesis in reliquas eruditionis partes duplēcēm habet influxum:  
1) formalem, per culturam intellectus, quam  
reliquae disciplinæ omnes requirunt  
& supponunt; 2) materialem, per propositiones & dogmata domestica,  
quæ in reliquis eruditionis partibus  
applicari possunt. De utroque influxu  
egregie quidem conscripta in lucem jam prodierunt: attamen nemini  
propositum fuit utrumque influxum in reliquam eruditionem o-

X 3

mnem

minem non solum demonstrationibus  
inconcusis & firmissimis, sed & spe-  
ciminibus & exemplis stabilire &  
confirmare, quod pro viribus meis  
præstare contendam, quapropter ea  
quoque ex qualibet parte præmit-  
tuntur, quæ finis deposcit. Quibus-  
dam quidem dissertationibus acade-  
micis hæc tractatio jam MDCCXXXII  
destinata erat: postea vero fata cœ-  
ptum consilium mutaverunt. Speci-  
minibus itaque nonnullis cum L. B.  
& intelligenti meditationes jam illis  
temporibus inceptas hoc modo com-  
municaturus sum, quas antea alio  
modo examini eruditorum publico  
destinaveram. Cæterum has medi-  
tationes debo privatissimis lectioni-  
bus STRAEHLERIANIS: quare etiam il-  
las sub hujus VIRI moderamine emit-  
tere mihi placuit. Vale L. B. & intelli-  
gens, cui me omnino commendatum  
esse volo. POL.

**POLYMATHIÆ  
MATHESEOS**

*SPECIMEN I.*

**TOTIVS ERVDITIONIS**

*INSPECIE*

**LOGICÆ**

*GENERALEM DELINEATIONEM  
EXHIBENS.*

1079

OMNIA  
DILIGENTIAE  
SUBJICIVNTVR.



PROL.



# PROLEGOMENA

§. I.

## HYPOTHESIS



Ihsertationis scopus est utilita-  
tis Matheseos per reliquam  
eruditionem vniuersam de-  
terminatio.

## DISTINCTIO

§. 2. At Determinatio sumitur

(a) obiectiue,

(b) subiectiue,

hoc loco subiectiue valet significatus.

A

BETI.

\* (2) \*

DEFINITIO

§. 3. Vi huius *determinatio vtilitatis* est indicatio illius, quod aliquid in vera alterius perfectione facere potest.

DEFINITIO

§. 4. Quia *vtilitas* est ea cuiusdam rei habitudo, qua apta est, ad veram alterius rei perfectionem faciendam.

SCHOLION 1.

§. 5. *Determinationis distinctionem, definitionemque, ac integrum illius coniugationem ex tenebris eruit PRÆSES in Commendatione sua de sensu atque usu principii rationis sufficientis §. 51. seqq. in qua etiam §. 205. vtilitatis definitionis fundamentum continetur: loco enim citato post distinctionem usus legitimam dedit definitionem, quem in primo actu notat vtilitas (§. 4.)*

SCHOLION 2.

§. 6. *WOLIFFIVS in Ontologia §. 122. determinationis obiectuæ definitionem propositurus, omissa distinctione, „quæ in „aliquo, inquit, subiecto certo respectu determinata su- muntur, determinationis nomine veniunt.“ Hinc*

(a) contra canonem peccat: *in plena tractatione distin- ctio non est omittenda.*

(b) *vitium committit Synonymie.* In sensu enim obiectu determinatio est abstractum determinati, quod recte obseruant PRÆSES l. c. §. 106. abstracta vero & concreta non differunt, nisi ratione, & propterea certo modo sunt eadē, quæ sibi mutuo salua veritate substitui possunt; unde *immediata emergit consequia ab abstractis ad concreta & vice versa, vi-*

*enius*

cuius, quod concrete in recto casu de subiecto dicitur, in obliquo casu de eodem abstracte est praedicabile. Quare etiam recte dici potest: *determinationis nomine veniunt, quæ in aliquo subiecto certo respectu cum determinatione sumuntur; si recte dicitur: determinationis nomine veniunt, quæ in aliquo subiecto certo respectu determinata sumuntur.* Sicuti *substitutus* dicimus: *Caius est eruditus; &c., Catus est eruditione præditus;* at, quem tyronem fugit, vitium synonymiz committi, quando notionem definitiū vel directe, vel indirecte ingreditur definitum. *Coniugatorum quidem coniugatae sunt definitiones:* sed propterea abstracta per concreta minime sunt definibilia.

(c) itaque impingit contra legem: *abstractorum definitiones per abstracta sunt formanda:* quia abstractum minus dici concreto, confer *PRÆSIDIS dissertationes de Existencia Dei* §. 494. quæ quidem est ratio, cur nec abstracta de concretis, nec vice versa, in recto casu sint praedicabilia.

SCHOLION 3.

§. 7. Reliqua, quæ Logica circa WOLFFII philosophemata reprehendit, quatenus a scopo nostro sunt aliena, *omittimus commonefaciētes* tantum distinctionem inter subiectiuam & obiectiuam determinationem in Cosmologia præfertim transcendentali, cuius incompletam notionem WOLFFIVS exhibet in *scriptu præliminari de Philosophia in genere* §. 75. magni esse monenti: quod ideo monendum esse ducimus, ne homines, nisi acumine, penetratione tamen ac profunditate destituti reprehendant, quod ignorant; neque WOLFFIVS cum THVMMIGIO somniare pergar, quæ utrique vigilantes voluerunt, orantes nimirum homines,

A 2

pre-

præter WOLFFIUM in rebus philosophicis, præsertim metaphysicis ex fato quasi cœcutire. Id enim WOLFFIO arrogat THVMMIGI fundata in præiudicio auctoritatis stulticia, quæ istum virum semper per eminentiam vocat Philosophum, et in *institutionibus Philosophiae moralis* § 90. de eo dicit: „Quamobrem dubitari nequit, quod [acumen] in numero virtutum intellectualium locum mereatur, et si Aristoteles, ipsumque secuta omnis philosophantium turba, ante Philosophum nostrum eius nullum secerunt mentionem, propterea quod in mens cognitione non eos fecerit progressus, quos WOLFFIO nostro referuerat prouidentia divina..“ Quum ramen ARISTOTELES intellectuales inter virtutes primam nominavit intelligentiam, quam per principiorum cognitionem definit, ex qua scientiam conclusionum adipiscimur. vid. ZABARELLA de natura Log. L. 1. C. 2. Istam autem cognitionem sine acumine, penetratione ac profunditate impossibilem esse, PRÆSES suis in prælectionibus logicis, quæ in multorum sunt manibus, diuidum obseruauit: ut & habitus istos gradu tantum, minime vero specie differre. Quem itaque fugit, THVMMIGIVM inanes flare glorias.

## REFLEXIO.

§. 8. Determinatio est indicatio (§. 3.): indicatio vero logice considerata est abstractum supini verbi indicare, quod idem est, ac quasi aliquid ante oculos ponere, & ea notare omnia, & singulatim recensere, quæ in eo continentur, eique attribui possunt. Quod probat usus loquendi; dicit enim CICERO: *vulnus indicat mores; item, exitus rei hoc indicabit &c.*

DE-

DEFINITIO.

§. 9. *Indicatio* itaque est notatio & recensio eorum omnium, quæ in aliquo ente tanquam subiecto reperiuntur, eique attribui possunt.

THEOREMA.

§. 10. Huius ergo dissertationis est, singula recensere incrementa, quæ reliqua eruditio vniuersa a Mathesi capit.

DEMONSTRATIO.

Huius enim dissertationis est determinare utilitates Matheseos per reliquam eruditionem vniuersam (§. 1.); & determinare utilitatem Matheseos per reliquam eruditionem vniuersam est indicare ea, quibus Mathesis ad perficiendam reliquam eruditionem vniuersam est apta (§. 3. 4.); indicare vero ea, quæ Mathesis perfectioni reliquæ eruditio vniuersæ praestare potest, est notare & recensere singula, quæ Mathesis in perficienda reliqua eruditio vniuersa valet (§. 8. 9.); & notare atque recensere singula, quæ Mathesis ad perficiendam reliquam eruditio vniuersam confert, est notare &

recensere singula, quæ Mathesis ad integratam reliquæ eruditioñ vniuersæ facit (§. 48. *Diss. PRAESID. de Exist. Dei*); eademque recensere, est incrementa recensere, quæ reliqua eruditio vniuersa a Mathesi capit, quia ea, quæ rem perficiunt, incrementorum nomine veniunt: ergo dissertationis huius est singula recensere incrementa, quæ reliqua eruditio vniuersa a Mathesi capit. Q.E.D.

SCHOLION.

§. 11. *Incrementa* vero non sumuntur tantum secundum extensionem sed & intensionem, non materialiter tantum, sed & formaliter, non de accessionis solum, sed simul de accessionibus reliquis eruditioñ partibus ex Mathesi adjunctis.

REFLEXIO.

§. 12. *Incrementa*, quæ reliqua eruditio vniuersa accepta Mathesi refert, sunt id, circa quod hæc versatur dissertatione (§. 10.).

CONSECTARIUM.

§. 13. Ista proinde incrementa materiale huius dissertationis obiectum constituunt.

DEMONSTRATIO.

Id enim circa quod dissertatione versatur, est eiusdem materiale obiectum; & eiusmodi incrementa sunt id, circa quod hæc dissertatione versatur (§. 12.): quare ea huius dissertationis sunt materiale obiectum. Q.E.D.

RE:

REFLEXIO.

§. 14. *Incrementa*, quæ aliquod ens accepta alteri refert, inuoluunt tò esse vnius, nimirum entis incrementa accipientis, ad aliud, nimirum id, a quo illa veniunt.

THEOREMA.

§. 15. Obiectum igitur huius dissertationis materiale est respectuum.

DEMONSTRATIO.

Obiectum huius dissertationis materiale sunt incrementa, quæ reliqua eruditio omnis a Mathefi capit (§. 13.); incrementa vero, quæ reliqua eruditio vniuersa accepta refert Mathefi, inuoluunt tò esse vnius ad aliud (§. 14.); & quidquid inuoluit tò esse vnius ad aliud, inuoluit respectum, a quo respectuum vocatur: ergo obiectum dissertationis materiale est respectuum. Q. E. D.

REFLEXIO.

§. 16. *Respectuum*, quod inuoluit tò esse vnius ad aliud, rationem habet sufficientem in uno & uno &c. inuicem collatis.

THEO-

THEOREMA.

§. 17. Hinc obiectum huius dissertationis non est intelligibile, nisi ex pluribus inter se collatis.

EXPOSITIO.

Hæc propositio, quæ est exceptiua, affirmatiuam cum negatiua propositione implicitè copulat: quarum ergo utraque est demonstranda.

DEMONSTRATIO.

Obiectum huius dissertationis materiale est respectiuum (§. 15.); & respectiuum rationem habet sufficientem in uno & uno &c. (§. 16.), quæ dicuntur plura (§. 10. diff. PRÆSID. de Exist. Dei): ergo respectiuum in pluribus rationem habet sufficientem. Quidquid vero in pluribus rationem habet sufficientem, id ex pluribus est intelligibile (§. 6. c. c. diff.): consequenter obiectum huius dissertationis ex pluribus est intelligibile. Q.E.P.

Iam si etiam intelligibile esset non ex pluribus, sed ex uno absolute considerato, illud in pluribus, & simul non in pluribus, uno scilicet absolute considerato, sufficientem haberet rationem (§. c.). Si vero in pluribus, simulque non in pluribus, sed uno absolute con-

considerato, sufficientem haberet rationem, illud non esset respectuum (§. 16.), quod tamen est (§. 15.); ergo intelligibilitas obiecti huius dissertationis non ex pluribus inter se collatis inuoluit obiectum respectuum & non respectuum. Sed non respectuum & respectuum sunt opposita (§. 34. cc. diff.), quorum unio contradictionem constituit (§. 35. cc. diff.), ex qua oritur impossibilitas (§. 40. cc. diff.): quare intelligibilitas obiecti huius dissertationis non ex pluribus inter se collatis, sed ex uno absolute considerato est impossibilis. Q.E.A.

Consequenter, *vi consequentiae immediate a diuisis ad composita*, obiectum huius dissertationis non est intelligibile nisi ex pluribus inter se collatis. Q.E.D.

*THEOREMA.*

§. 18. Ista plura, ex quorum collatione materiale dissertationis huius obiectum est intelligibile, sunt  
a) Matheſis,  
b) reliqua eruditio omnis.

*EXPOSITIO.*

Demonstranda propositionis subiectum non sunt  
B plura

plura indeterminate talia; sed ea plura, ex quorum collatione materiales dissertationis nostræ obiectum est intelligibile: quare hæc subiecti determinatio demonstrationis principalis est ratio. Determinatio enim subiecti & hypothesis propositionis sunt idem ac principalis ratio demonstrationis.

## DEMONSTRATIO.

Hinc sequentem in modum argumentamur. Plura sunt vnum & vnum &c. (§. 10. diff. cc.): ergo ea plura, ex quorum collatione materiale huius dissertationis obiectum intelligitur, sunt hoc vnum, & illud, quæ ad eandem intellectionem faciunt; quod patet *ex consequentia immediata ex applicatione*. Iam materiale dissertationis huius obiectum existit incrementa, quæ reliqua eruditio omnis accepta Mathesi refert (§. 13.): istiusmodi vero incrementa, quia sine omni ratione intrinseca subiecto nihil esse potest, rationem quidem habent aliquam in subiecto, cui accedunt, quod est praeter Mathesin reliqua eruditio omnis; attamen ea ratio non est sufficiens, refert enim reliqua eruditio omnis ista incrementa Mathesi accepta. Ea re sufficiens incrementorum horum continetur; sed Mathesis est vnum, & reliqua erudi-

eruditio omnis alterum (§. 266. diff. cc.): plura ista (§. 19. cc. diff.) igitur in quorum collatione obiecti dissertationis nostræ ratio continetur sufficiens, sunt

a) Mathesis,

b) reliqua eruditio omnis.

Plura vero, in quibus ratio alterius sufficiens continetur, sunt simul ea, ex quibus illud alterum est intelligibile (§. 19. cc. diff.): ergo plura ista, ex quorum collatione materiale obiectum dissertationis nostræ est intelligibile, per consequentiam immediatam ex equipollentia, sunt

a) Mathesis,

b) reliqua eruditio omnis. Q.E.D.

REFLEXIO.

§. 19. Omnem igitur tractationis materiam tria absoluunt, quæ sunt

(a.) totius eruditioris generalis delineatio,

(b.) specialis adumbrata universæ Matheseos idea informatio (18.),

(c.) utilitatis Mathesos per partem reliquæ eruditioris omnem determinatio. (§. I.)

PARTITIO.

§. 20. EX varietate tractandæ materiæ primariae primariæ tractationis

tionis oriuntur partes, quæ quum  
triplex existat (§. 19), tres quoque  
huius dissertationis primariæ meri-  
to constituuntur partes,

*vna* vniuersam eruditio-  
nem generaliter delineat;  
*altera* adumbratam vni-  
uersæ Matheſeos ideam  
specialiter informat;  
*tertia* Matheſeos vtilitatem  
per partes reliquæ eru-  
ditionis omnes determina-  
nat.

*ORDO PARTIVM.*

§. 21. Quæ reliqua eruditio o-  
mnis ex Matheſi haurit incrementa,  
ex Matheſeos cum reliqua eruditio-  
ne omni collatione sunt intelligibilia  
(§. 18.). Quidquid vero cognoscendi

-sBeri schenq vrmvng so ratio-  
natio

28

rationem alterius continet, est illius cognoscendi principium (§. 63. cc. diff.): eaque re prioritatem obtinet. *Partes igitur de eruditione in genero, deque Matheſi in ſpecie priores ſunt tertia, de Matheſeos utilitate per reliquam eruditionem vniuerſam.* Et quod ad has partes priores attinet, verum quidem eft, Matheſin eſſe integrantem eruditionis partem; easque partes eſſe totius principia effendi, quæ ideo priores ſunt toto: attamen eruditio etiam integrantibus cum partibus ſuis ſuam communicat eſſentiam, ita, vt quaelibet pars pariter atque vniuersa eruditio ſit eruditio. Ideoque eruditio in genere ſe habet ad quamlibet eruditionis partem, vt genus ad ſpeciem.

B 3

Præ-

Præterea vſura, quam reliquæ eruditio-  
ni Mathesis largitur, reliquam eru-  
ditionem præsupponit. Id ergo eſt,  
quamobrem pars de eruditione in  
genere principatum obtinet. Inde ſe-  
quitur

## PARS I.

### DE ERUDITIONE IN GENERE.

§. 22.

#### REFLEXIO.

Hæc pars (§. 21.) vniuersam eruditionem ge-  
neraliter delineans (§. 20.) tradit

(a:) definitionem, } eruditionis.  
(b:) partitionem }

#### SUB PARTITIO.

§. 23. Hinc ea in duas abit ſe-  
ctiones, et posibl

quarum { prima agit de }  
definitione } eruditionis.  
altera de par- }  
titione

OR.

ORDO SECTIONVM.

§. 24. Partitio, quæ est partium,  
quas integrale totum continet, de-  
terminatio, supponit totius distin-  
ctam notionem, quam definitio ex-  
hibet. Quamobrem *sectio de defi-*  
*nitione eruditionis ordine prior est*  
*sectione de illius partitione.* Agit  
itaque

SECTIO I.  
DE  
ERUDITIONIS DEFINI-  
TIONE.

§. 25.  
DISTINCTIO.

Eruditionis formalis suppositio.

(a) *alia* est { *lata*,  
*stricta*.

(b) *alia* est { *subiectiva*,  
*objectiva*.

Et quod ad *subiectivam* attinet suppositionem,

ea istum notat actum, quo ex rudi & inscio  
politus fit & gnarus, quemque alias & in-  
stitutionem, item informationem vocant:  
*objicitius* vero significatus, *is* quidem maxime  
vel est *latus,*  
*strictus;*

*latum* tamen, per quem omnis a vulgari co-  
gnitione distincta cognitio denotatur, *non at-*  
*tendimus*, qui strictum, omnem ambiguitatem  
excludentem, fundamenti loco ponimus.

SCHOLION. I.

§. 26. In *lato* enim significatu *sub certis circumstantiis que-*  
*dam* cognitio ad eruditorem pertinere potest, *que* sub aliis ad  
eam minime est referenda; in *stricto* non item.

SCHOLION. 2.

§. 27. Atque hinc patet ratio distinctionis inter *vulgares*  
eruditos, qui etiam plebis eruditorum nomine veniunt, & proprie-  
te *κατέξοντες* sic dicitur. Piores nimis in lato tantum sensu in  
numerum eruditorum referuntur: *posteriores* vero in stricto signi-  
ficatu sunt eruditii.

DEFINITIO. 1.

§. 28. Est autem eruditio in *stricta suppositione*  
*objicitiua* possibilium cognitio distincta, & veri  
nominis systematica.

DEFINITIO. 2.

§. 29. Et in *objicitiua suppositione* per eruditio-  
rem habitus facultatis cognoscitiae intelligitur,  
quo

quo quis sibi & aliis distinctam, & systemati-  
cam cognitionem comparare valet.

REFLEXIO.

§. 30. Eruditio ergo subiectiva duo inuol-  
uit:

- (a) cognitionem regularum, quibus facul-  
tas cognoscitiva in meditatione  
dirigitur;
- (b) promptitudinem in quacunque mate-  
ria istas applicandi regulas.

THEOREMA.

§. 31. In vtraque acceptione gra-  
dus eruditio suos habet.

DEMONSTRATIO.

Stricte enim dicta eruditio est vel distincta  
& veri nominis systematica cognitio (§. 28.); vel  
habitus eiusmodi cognitionem comparandi (§.  
29). Ista regulis certis & demonstratione nititur  
inconcussis principiis superstructa: hic prompti-  
tudinem agendi inuoluit (§. 30.). At regulæ, se-  
cundum quas eruditio componitur, partim  
sunt coordinatae, partim subordinatae; & prin-  
cipia, quæ supponimus, cognoscendi sunt vel  
proxima, vel remota & ultima, & priora in  
poste-

posteriora sese resoluunt: hinc tam in regulis, quam in principiis & principiatis quædam datur multitudo sub identitate vnitatum conceptibilis; quæque etiam in promptitudine obtinet. Quidquid igitur regulis & principiis est superstructum, illud, per consequentiam immediatam a rectis ad obliqua, sub identitate vnitatum conceptibilem inuoluit multitudinem, quæ quantitatem constituit (§. 22. diff. ec.): hæc autem quantitas in systematicam cognitionem constituendam conueniens est immaterialis quantitas, cuius vnitates gradus constituunt (§. 26. ec. diff.). Quidquid ergo regulis & principiis est superstructum, illud habet gradus, ex substitutione: consequenter utraque eruditio gradus habet suos. Q. E. D.

## REFLEXIO.

§. 32. Nos eruditio[nis] gradus conceptibiles (§. 31.) de eruditis experientia quoque comprobant, quæ docet, vni eruditorum quendam inesse gradum, quo destitutus existit alter.

## CONSECTARIUM.

§. 33. Gradu itaque eruditio[nis] diuersi existunt eruditii.

## DEMONSTRATIO.

Diversa enim sunt, quorum vnum continet, quod

quod alteri non inest (*S. 25. cc. diff.*): ergo eruditii gradu eruditionis existunt diuersi (*S. 32.*). Q. E. D.

CONSECTARIUM CONSECTARI.

*S. 34.* Inde patet prima eruditiorum, eminenter talium, differentia,

DEMONSTRATIO.

Illud enim, per quod eiusdem generis vel speciei entia sunt diuersa, est differentia: & gradus eruditionis est id, per quod eruditii existunt diuersi (*S. 33.*). Q. E. D.

SCHOLION. I.

*S. 35.* Inque ea differentia, quam scripta probant eruditiorum, ratio latet distinctionis, per quam eruditii in solide & que ac profunde & superficiarie eruditos distinguuntur.

SCHOLION. 2.

*S. 36.* Hinc a superficiarie eruditis adhuc differunt principiis destituti mere litterati: litteraturam licet eruditio in lata suppositione contineat, atque adeo solidae & profundae eruditioni non repugnet.

DEFINITIO.

*S. 37.* Litteratura (Belesenheit) enim, qua talis, est effectus felicis memoriae in vasta & plebeia consistens cognitione historica litteraria, seu eorum, quæ ab eruditis, qua talibus, sunt acta.

SCHOLION. I.

*S. 38.* Pro eruditione quidem, in stricta etiam suppositione, litteratura aliquando furnitur: sed aut per synecdochen; aut propter loquendi inconstantiam.

SCHOLION. 2.

§. 39. Ceterum ex gradu eruditionis desuanta eruditorum  
differencia prima dicitur (§. 34.): quia datur adhuc altera.

AXIOMA.

§. 40. Eruditio enim, per immediatam a compo-  
situm ad diuisa consequentiam, est cognitio (§. 28.), &  
habitus cognitionem comparandi (§. 29.).

DEFINITIO.

§. 41. Et cognitio est possibilium in cogita-  
tione repraesentatio.

CONSECTARIVM.

§. 42. Ergo quælibet cognitio aliquod habet ob-  
iectum.

DEMONSTRATIO.

Quidquid enim in aliquo ente versatur,  
illud habet obiectum: & quælibet cognitio,  
ut pote possibilium repræsentatio (§. 41.), in ali-  
quo ente versatur; siquidem nihili nulla datur  
notio. Q.E.D.

CONSECTARIVM CONSECTARII.

§. 43. Consequenter eruditio quoque omnis  
suum habet obiectum.

DEMONSTRATIO.

Eruditio enim omnis est vel cognitio, vel  
cognitionem comparandi habitus (§. 40.); id-  
coque quælibet aliquod habet obiectum  
(§. 42.). Q.E.D.

RE-

REFLEXIO.

§. 44. Illud vero eruditionis obiectum duplex existit: nimurum

- (a) lingua;
- (b) aliud ens, ad cognitionem cuius delineans-  
dam lingua vitimur.

DIVISIO.

§. 45. Qua ex duplicitate obiecti eruditii recte dividuntur

- (a) in verbales,
- (b) reales, quibus
- (c) polyhistores accedunt.

DEFINITIO. 1.

§. 46. Verbales eruditii sunt, qui linguas sci-  
entifice callent.

SCHOLION.

§. 47. Ad quam eruditorum speciem itaque pertinent Cri-  
tici, Grammatici, Rhetores, & Oratores, tique omnes, qui in lin-  
guis, qua talibus, demonstratis methodo vel theoretice, vel pra-  
dictie verantur, quorum Philologos maxime eos vocant, qui has  
scientias artesque omnes norunt.

DEFINITIO. 2.

§. 48. Reales vero eruditii sunt, qui scientifi-  
ca eorum gaudent cognitione, quorum voca-  
bula sunt ligna.

DEFINITIO. 3.

§. 49. Quare polyhistores dicuntur ii, qui

c 3

tam

tam linguarum, quam aliorum diuersi generis  
entium, demonstrativa cognitione sunt imbuti.

REFLEXIO.

§. 50. *Vocabulorum signata triplicis potissimum sunt generis: nimirum*

- (a) *realia;*
- (b) *ab his abstracta deriuataque entia, ab eruditis diuerso modo considerata;*
- (c) *ficta.*

SVB. DIVISIO.

§. 51. *Hinc reales item eruditii ab obiecto, partim materiali, partim formalis, diuiduntur in*

- (a) *Historicos,*
- (b) *Philosophos,*
- (c) *Mathematicos,*
- (d) *Poetas.*

DEFINITIO. I.

§. 52. *Historicus est eruditus realis, qui versatur in rebus existentibus, qua talibus CONSECTARIUM.*

§. 53. *Non solum itaque res gestas memoria sua tenet; sed & ea, quæ ad stabiliendam fidem & construendum systema historicum pertinent, perspicit.*

DEMONSTRATIO.

Gaudet enim secundum nostram suppositionem eruditione (§. 52.): eruditio vero est vel

vel distincta & systematica cognitio (§. 28.), vel habitus eiusmodi cognitionem comparandi (§. 29.). Q.E.D.

DEFINITIO. 2.

§. 54. *Philosophus* est eruditus realis, qui in reddendis rationibus eorum omnium versatur, quæ hoc vniuersum secundum omnes statutus vel mediate, vel immediate constituunt.

AXIOMA.

§. 55. Philosophi igitur est,

(a) in rationes eorum inquirere, quæ vel sunt, vel fuerunt, vel fiunt, vel futura sunt;

(b) ex ipsis detectis rationibus ea omnia explanare.

REFLEXIO.

§. 56. *Philosophus* ergo in rationes inquirit, & omnium huius vniuersi rationes catenus reddit, quatenus est possibile (§. 55.): *Historicus* vero ea tantum, quæ vel sunt, vel fuerunt, vel fiunt, animaduertit, & legitimo modo proponit (§. 53.). Hinc in uno aliquid est, quod in altero non obuersatur.

CONSECTARIVM.

§. 57. Quare *Philosophus* ab *Historico* differt.

DEMON-

DEMONSTRATIO.

Ea enim, quorum vnum aliquod continet, quod in altero non obuersatur, sunt diversa (§. 25. cc. diff.): consequenter Philosophus & Historicus differunt (§. 56.). Q.E.D.

DEFINITIO. 3.

§. 58. *Mathematicus* est eruditus realis, qui in determinanda quantitate est occupatus.

REFLEXIO.

§. 59. Quia *Mathematicus*, qua talis, tantum in determinanda quantitate est occupatus (§. 58.): in eo quoque aliquid animaduertitur, quod idea neque *Historici*, neque *Philosophi* inuoluit (§. 56.).

CONSECTARIVM.

§. 60. Ab vtroque itaque, *Philosopho* nempe & *Historico*, differt *Mathematicus*.

DEMONSTRATIO.

Vnus enim eorum considerat, quod alter, qua talis, non curat (§. 59.): hinc omnino inter se differunt (§. 25. diff. cc.). Q.E.D.

DEFINITIO. 4.

§. 61. *Poëta* denique est eruditus realis, singendo sese occupans.

SCHOLION. I.

§. 62. Dicitur a græco τελεῖ, quia ipse est conditor, seu fa-

ctor

ctor eorum, quæ considerat, ex quo *differentia eius* a reliquis eruditis simul appareat, quæ demonstrat, philosophi non esse fingere, sed rationes fictionum inquirere (§. 55.), cuius demonstrationis prioribus (§. 57. 60.) simillimam evolutionem studio præterimus.

SCHOLION. 2.

§. 63. Ceterum est notandum, rem hoc loco opponi verbo, seu vocabulo (§. 44.), minime vero enti rationis, præfertim rationantis, in qua posteriori oppositione Poëta vtique non est realis eruditus.

SCHOLION. 3.

§. 64. Et quod ad alias eruditorum *differentias ex accidente* attinet, per quas eruditæ ex moribus, nominibus, pallio, titulis, opibus &c. distinguntur, ita, tanquam a scopo nostro alienis, *fusseredemus*. Nonnulla huc spectantia leguntur in dissertationibus FEVERLINI de eruditis sine præceptore, & SCHROEDERI de Misocosmia, Misogynia, ex Misanthropia eruditorum, quarum prior Altorffii est edita, posteriores vero Lipsiae sunt habitæ. Id tandem monemus, *et nos, dñe*, in stricta etiam suppositione, non esse impossiles, ipsam eruditionis notionem (§. 28. 29.) probare: modo, quam supra (§. 34.) demonstravimus, *differentia secundum gradus* attenditur; nec diversi temporum status in comparata eruditorum diiudicatione confunduntur.

TRANSITIO.

§. 65. Quæ igitur huius partis (§. 21.) est obiectum completum (§. 20.) ab eruditorum divisione ad generalem vniuersitatem eruditionis delineationem reuertamur, quam partium eruditionis determinatio absolvit. Hinc sequitur (§. 24.)

SE-

## SECTIO II. *DE* ERUDITIONIS PARTI- TIONE.

§. 66.

REFLEXIO.

**I**nstitutum nostrum est partitionem ex definitione, seu, indole eruditionis deriuare (§. 24.) ; qui vero in historica partitionis eruditionis tractatione studium ponunt, *ii* occupant animum in delineando statu, quo eruditio apud diuersas nationes, diuerso, & eodem tempore pro diuersitate morum, & gentium negotiorum exsistit (§. 52.) : ergo horum institutum aliquid inuoluit, de quo *nostrum* non est occupatum.

CONSECTARIUM.

§. 67. Hinc ab illorum instituto nostrum est diuersum.

DEMONSTRATIO.

Ea enim, quorum vnum aliquid inuoluit, de quo alterum non est occupatum, sunt diuersa (§. 25. *diss. cc.*) : ergo institutum nostrum ab il-

lo-

lorum instituto, qui studium in historica eruditio  
nis partitionis pertractatione ponunt, est  
diuersum (§. 66.). Q.E.D.

SCHOLION.

§. 68. Exhibit vero historiam eruditio  
nis & perelegantem Fridericianæ Cancellarius Perillustris  
*a LVDEWIG in T. II. Opusculorum miscellorum L. II. Opusc. II.*  
*de historia quadripartita eruditio*nis p. 659. &c<sup>r</sup> seqq.

REFLEXIO.

§. 69. Quod iam ad *institutum* attinet  
*nostrum*, secundum *quod* partitionem ex defini  
tione deriuare studemus (§. 66.), illud de  
duobus occupatur:

- (a) *de partitionis fundamento in definitione latente;*
- (b) *de partium inde fluentium determinatione.*

SVBALTERNA PARTITIO. I.

§. 70. Hæc igitur *sectio secunda* in *duo* disperienda est *membra*:

*primum* versatur in *funda  
mento partitionis*; &  
*quorum* *alterum* in *determinandis*  
*eruditio*nis *partibus*.

D 2

ORDO.

ORDO MEMBRORVM.

§. 71. *Fundamentum* continet rationem partium (§. 69.): ergo illius tractatio prior est tractatione de eruditionis partibus. Quapropter prolegomena huius sectionis excipit illius

MEMBRVM I.

PARTIVM ERVDITIONIS  
FVNDAMENTO.

§. 72.

REFLEXIO.

Eruditio gradus admittit suos (§. 31.), qui extensive partim, partim sunt intelligendi intensive. Intensive ex soliditate & profunditate cognitionis: extensive ex multitudine de diversis obiectis dogmatum, quæ e multiplici emanant scientia.

OBSERVATIO.

§. 73. Et non solum eiusmodi eruditionis gradus sunt conceptibiles (§. 65.): sed compare eru-

eruditio ex iis etiam determinatur. Ita enim Caio solidio, profundiorque tribuitur eruditio, quam Maeuio, & doctrinæ amplitudine, imo promptitudine, doctrinam comparandi, alter alterum superare dicitur.

**THEOREMA.**

**§. 74.** Quidquid autem comparet gradibus determinatur, illud absolute in summo gradu est concipiendum.

**EXPOSITIO.**

Hoc enim loco comparet aliquid sumitur in ordine ad singularia, præsertim secundum quantitatem, quæ unum ab altero differt: hinc eatenus illud *absolute* concipitur, quatenus a singularibus præcisum indeterminate absque omni termino consideratur; & in eo summus, seu, absolutus consistit gradus, qui inferiores inuoluit omnes, si de intensu quantitate est sermo.

**DEMONSTRATIO.**

Quidquid igitur comparet gradibus determinatur, id est, quod, comparet sumptum, ex gradu indicatur (§. 3.), seu, per gradus notatur (§. 9.), illud, *vi expositionis*, comparatae nimirum sumptionis, in singularibus differt secundum quantitatem. Quidquid vero in singuli-

laribus differt secundum quantitatem, illud a singularibus præcīsum a differentiis secundum quantitatem abstrahit. Et sicuti illud absque omni termino a quantitate desumpto est concipiendum, quod a singularibus præcīsum abstrahit a differentiis secundum quantitatem, *ut ex principio contradictionis per consequentiam immediatam ex applicatione patet: ita illud, vi expositionis, absolute concipitur, quod indeterminate, seu, a singularium determinationibus præcīsum consideratur.* Hinc, *per consequentiam immediatam ad divisiones ad composita,* illud absolute absque omni termino a quantitate desumpto est concipiendum, quidquid comparet gradibus determinatur. Iam quantitas intensiva absque omni termino concepta, *vi expositionis, summus, seu, absolutus est gradus: ergo, per substitutionem ex equipollentia,* illud absolute in summo, seu, *absoluto gradu est concipiendum, quidquid comparet gradibus determinatur.* Q.E.D.

CONSECTARIUM:

S. 75. Eruditio itaque absolute spectata in summo gradu *est concipienda.*

DEMONSTRATIO.

Comparate enim gradibus determinatur

tur (§. 73.): quare absolute in summo gradu est concipienda (§. 74.). Q.E.D.

CONSECTARIVM CONSECTARI.

§. 76. Consequenter eruditio, quæ absolute consideratur, possibiles gradus inuoluit omnes.

DEMONSTRATIO.

Nam summus gradus, *vi expositionis* (§. 74.), inferiores possibiles gradus omnes inuoluit. Hinc, per consequentiam immediatam a rectis ad obliqua, illius conceptus possibiles gradus inferiores omnes inuoluit, quod in summo concipitur gradu. Quare eruditio absolute spectata possibiles gradus omnes inuoluit (§. 75.). Q.E.D.

REFLEXIO.

§. 77. Eruditio absolute spectata concipitur ut aliquid, licet non perse, tamen in se, quod scilicet possibiles gradus omnes inuoluit (§. 76.).

CONSECTARIVM.

§. 78. Hinc eruditio absolute spectata est vna.

DEMONSTRATIO.

Est enim aliquid in se (§. 77.): ergo est vna (§. 7. diss. cc.). Q.E.D.

THEOREMA.

§. 79. Ex quo simul patet, illam esse totum.

DEMON-

DEMONSTRATIO.

Inuoluit enim possibiles gradus omnes (§. 76.); gradus vero sunt partes (§. 262. *diss: cc.*): quare, per consequentiam immediatam a rectis ad obliquas, illud partes omnes continet, quod gradus continet omnes. Porro eruditio est vna (§. 78): consequenter ea, ex immmediata consequentia a divisionibus ad composita, est vnum, quod omnes continet partes, ut sint vnum. Iam illud vnum, quod suas partes habet omnes, ut sint vnum, dicitur totum (§. 106. *diss: cc.*): ergo eruditio absolute considerata est totum. Q.E.D.

REFLEXIO.

§. 80. *Gradus absolutus* inferiores minime per solam essentiæ communicationem continent: sed quilibet inferior ita in absoluto est conceptibilis, ut absolutus quemlibet inferiorem excedat. Sic summus gradus caloris quemlibet aliud excedit.

THEOREMA.

§. 81. Hinc eruditio absolute spectata non est totum vniuersale; sed integrale.

DEMON-

AD  
DEMONSTRATIONEM

PRÆPARATIO.

*Vniuersale* enim totum partes suas per solam essentiæ communicationem sub se comprehendit; quare etiam partes toti subiectæ dicuntur: *integræ* vero totum, etiam *analogice vale*, quale est eruditio, partes quantitatem coëfficientes in se vna continent, a quo modo inservi integrantes istæ vocantur partes. Ex his & iis, quæ supra (§. 75. seqq.) de eruditione absoluta atque summo gradu demonstrauimus, nostrum procedit theorema.

DEMONSTRATIONIS  
ELABORATIO.

Eruditio absolute spectata licet in summo gradu sit concipienda (§. 75.): inferiores tamen gradus, qui illius sunt partes (§. 262. *diff. cc.*), minime per solam essentiæ communicationem sub se comprehendit; sed eatenus continenter in ea existunt, quatenus hoc esse potest (§. 80.). Iam illud totum, *vi preparationis*, *vniuersale* est, quod partes suas per solam essentiæ communicationem sub se comprehendit; & quod partes suas quantitatius eatenus vna continent, quatenus hoc sine contradicitione existit, *vi eiusdem preparationis* totum est integræ. Ergo eruditio absolute spectata non est totum *vniuersale*; sed *integræ*. Q. E. D.

E

CON.

## CONSECTARIUM.

§. 82. Quamobrem non dantur eruditionis species; sed integrantes partes.

## DEMONSTRATIO.

Nam quidquid habet subiectas sibi partes, seu, species, illud, *vi preparationis* (§. 81.), est vniuersale totum; & quidquid continent partes integrantes, illud, *vi eiusdem preparationis* (§. c.), est integrale totum: at eruditio non est totum vniuersale; sed integrale (§. c.). Ergo eruditio non habet species: sed integrantes partes. Q.E.D.

## SCHOLION. 1.

§. 83. Ceterum in demonstratione theorematis (§. 81.) diximus, in eruditione *eatenus* partes continenter existere, *quatenus* illud esse potest: *ut ne quis actu compræfentes*, seu, *actu integrantes* partes, *cum nude possibilibus confundat*, & ex commissa fallacia figura dictio*nis*, ei, *quam fallaciam dicti secundum quid vocant*, coniuncta scrupulum aliquod moueat, *contra istud metaphysicorum & mathematicorum axioma: totum est æquale partibus omnibus simul sumit*.

## SCHOLION. 2.

§. 84. Et ex *consecratio* (§. 82.) patet, veram ac falso, *sòlidam*, & *superficiariam &c.*: eruditionem non esse species eruditio*nis*, *utpote quæ est una* (§. 78.); *imo unica*: *quia absolute considerata ad cognoscibilia omnia se extendit* (§. 76.). *Ipsæ* igitur *denominationes distinctionem suppositionis vocis tantum notant*, *secundum quam ista vox*, *vel secundum rei veritatem*, *vel apparentiam*, *vel maius*, *vel minus &c.* sumitur.

THEO-

**THEOREMA.**

§. 85. Quod iam ad partes eruditionis integrantes attinet, quas eruditio continet (§. 82.), eæ vel in eruditionis { forma materia suam habent rationem.

**AD DEMONSTRATIONEM  
PRÆPARATIO.**

Ad huius propositionis agnoscendam veritatem iuuat scire, materiam esse id, ex quo aliquid est: formam vero esse modum, secundum quem illud est. Inde enim, & ex notione subiecti, sequentem in modum argumentari licet.

**DEMONSTRATIONIS  
ELABORATIO.**

Integrantes eruditionis partes eruditionem vna coëfficiunt, *vi preparationis* (§. 81.); quæcunque vero eruditionem vna coëfficiunt,

coëfficiunt { (a) cognitionem possibilium distin-  
ctam ac systematicam (§. 28.);  
(b) habitum eiusmodi cognitio-

nem comparandi (§. 29.).

Iam distincta possibilium cognitio ac systema-  
tica inuoluit

(a) possibilium considerationem;  
(b) in habitu præsertim modum considerationis, qui distinctam facit cognitionem & systematicam:  
et id, ex cuius consideratione cognitio formatur, materiae nomine appellatur; modus vero secundum quem consideratio instituitur, forma vocatur, *vi preparationis*. Hinc distinctam & systematicam possibilium cognitionem, & habitum istum comparandi, coëfficientia, aut ex materia, aut ex forma eruditionis, ut eruditionis coëfficientia intelliguntur. Quare, quum in eo sit sufficiens alterius ratio, ex quo solo illud alterum intelligi potest, in materia & forma eruditionis sufficiens partium existit ratio, quæ eruditionem integrum reddunt.  
Q.E.D.

SCHOLION.

§. 86. *Hoc* autem loco non perinde partes ex forma cœnientes atque materialis considerantur: quia priores tantum quantitate intensa differunt; siquidem forma semper perspicuitatem & nexus cognitorum respicit.

TRANSITIO.

§. 87. Detecto itaque partitionis fundamento (§. 85. 86.), ad ipsam eruditionis partitionem progredimus (§. 71.). Et in ea versatur (§. 70.)

MEM-

## MEMBRVM II. DE ERUDITIONIS PARTIBVS.

§. 88.

### REFLEXIO.

Sed materia (§. 86.) consideranda maxime duplex est:

nimirum { (a) signas  
                  (b) res, voce paulo latius sumta (§. 63.),  
                  signata.

### ERUDITIONIS PARTITIO.

§. 89. Hinc duæ totius eruditionis partes materiales dantur,

quarum { prima est σημειωτική  
                  altera vero πραγματική.

### SCHOLION.

§. 90. Sumimus vero pariter τὸ πρᾶγμα late (§. 88.), vt perinde facta & facienda omnia, ac causas & rationes eorum comprehendat, quod notationi non repugnat: quia τὸ πρᾶγμα dicitur a græco πρᾶγμα, quod æque valet agere ac facere; consequenter τὸ πρᾶγμα æque actum ac factum, pariter causam & effectum notat, faltem notare valet. Attamen τὸ πρᾶγμα a nobis τῷ σύμβολῳ contradistinguitur.

### DEFINITIO. I.

§. 91. Pars igitur σημειωτικὴ versatur in signis præsertim doctrinalibus, æque naturalibus ac

arbitrariis, ideoque in conceptibus & linguis  
ex maxime visitatis arbitriorum concretis, scri-  
ptis, aliquis cognatis characteribus.

CONSECTARIVM.

§. 92. Obiectum itaque materiale partis ~~conceptus~~  
sunt signa doctrinalia, hoc est,

- (a) conceptus,
- (b) dictiones, scriptaque & characteres.

DEMONSTRATIO.

Id enim, ex cuius contemplatione co-  
gnitio oritur, illius obiectum materiale existit:  
ergo pars ~~conceptus~~ conceptus, dictiones & scri-  
pta, aliosque his cognatos characteres pro ma-  
teriali habet obiecto (§. 91.). Q.E.D.

SCHOLION.

§. 93. Ad obiectiones, ex ambiguitate vocum efflorescentes,  
remouendas, obiter adhuc notamus, conceptum pro qualibet co-  
gitatione sumi.

DEFINITIO. 2.

§. 94. Ad pragmaticam contra partem quod  
attinet, eam (§. 90.) rerum cognitio omnium  
absoluta, ad quas cognoscendas, & cum aliis  
communicandas, imo in usum nostrum in me-  
moria facilius recondendas istis signis (§. 88.)  
vtimur.

CONSECTARIVM.

§. 95. Ergo materiale pragmaticae partis obie-  
ctum

Etum sunt res doctrinalibus signis contradistinctæ omnes.

DEMONSTRATIO.

Nam illud omne, ex cuius consideratione cognitio oritur, huius materiale existit obiectum: consequenter pragmatica eruditionis pars res omnes doctrinalibus signis contradistictas (§. 90.) pro materiali habet obiecto (§. 94.). Q.E.D.

REFLEXIO.

§. 96. *Duae* totius eruditionis *principales* existunt *partes* (§. 89.), quarum *vtraque* porro generaliter est delineanda (§. 19.): *instituenda* igitur est *generalis informatio* adumbrata

- (a) *сensuorium*  
(b) *pragmaticæ*} partis

SUBALTERNA PARTITIO. II.

§. 97. Quare hoc membrum ex hac *duplicitate* materiæ tractandæ (§. 69.) in *duos articulos* sese resoluit,

quo-

*primus partem σημειοτικήν in-*  
*quorum } format:*  
*alter vero ideam pragma-*  
*ticæ partis euoluit.*

*ORDO ARTICVLORVM.*

§. 98. *Conceptus* nobis exhibent *res*, rerum *status* internos, & externos; & *conceptibus* respondent *orationes*, *scripta*, aliaque his *cognata signa*: in *bis* vero omnibus versatur *pars σημειοτική* (§. 92.); ergo *hæc pars* in ordine cognoscendi prior existit *pragmatica parte*. Agit igitur

**ARTICVLVS I.**

DE  
PARTE ΣΗΜΕΙΟΤΙΚΗ

§. 99.

REFLEXIO.

**M**ateriale obiectum partis σημειοτικῆς præsertim est duplex:  
(a) *conceptus*; }  
(b) *horum signa* } (§. 92.).

PAR.

PARTITIO PARTIS ΣΗΜΕΙΟΤΙΚΗΣ.

§. 100. Quare pars σημειοτική pariter æqualiterque in duas disperienda est partes:

nimirum { (a) Logicam;  
                  (b) Symbologiam.

SCHOLION.

§. 101. Quoniam obiectua cognitio pendet a subiectiuā (§. 25.): breuitatis caussa omnem orationem, nisi expresse contrarium monemus, ad subiectuum traduceamus.

DEFINITIO. 1.

§. 102. Atque sic Logica est scientia theoreti-co-practica de intellec-tu, eiusque effectibus, signis scilicet doctrinalibus interne sensibili-bus, vt & direc-tione eius in formandis, exami-nandisque, & communicandis conceptibus.

DEFINITIO. 2.

§. 103. Symbolologia vero est scientia theoreti-co-practica de doctrinalibus signis externe sensibili-bus, corumque usu præfertim doctri-nali.

REFLEXIO.

§. 104. Obiectum huius Articuli, pars σημειοτική, in duas se resoluit partes a se inuicem di-stinctas (§. 100.).

F

SVB.

SUBALTERNA PARTITIO. III.

§. 105. Primus igitur articulus  
in duo abit capita,  
quorum [primum de Logica, agit.  
alterum de Sym-  
bolologia]

ORDO CAPITVM.

§. 106. Doctrinalia signa exter-  
ne sensibilia supponunt interne sen-  
sibilia, nimirum conceptus, quorum  
sunt signa: in ordine itaque cogni-  
tionis nostræ hæc priora sunt istis.  
Quapropter partitionem articuli pri-  
mi excipit

CAPVT I.

DE  
LOGICA.

§. 107.

REFLEXIO.

Logica itaque versatur.

(e) in

(a) } in { cognitione } intellectus (§. 102.).  
(b) } in { directione }

CONSECTARIVM.

§. 108. Logica consequenter duplex habet obiectum,

alterum { considerationis;  
operationis.

DEMONSTRATIO.

Versatur enim in duplice materia (§. 107.):  
et quidquid in duplice versatur materia, duplex  
habet obiectum. Q. E. D.

SCHOLION. L

§. 109. Intellectus quidem non est signum doctrinale interne  
sensibile, sed horum signorum efficiens causa, seu, effectuum priu-  
cipium: eaque propter pariter Logica definitio (§. 102.), atque ex  
hac deducta obiecti illius constitutio (§. 108.), esse videntur contra  
Logica ex diversitate obiecti partis eruditioinis ~~concupiscentiae~~ (§. 99.)  
determinationem; imo videtur intellectus considerationem magis  
spectare ad pragmaticam (§. 90. 95), quam partem eruditioinis  
~~concupiscentiae~~ (§. 92.). At metonymia, que per effectum & fiendi no-  
tat principium, omnem omnino perimit ac delet difficultatem.

SCHOLION. 2.

§. 110. Intellectus, qui Logica obiectum est considerationis  
(§. 108.), nostra in definitione (§. 102.) late pro omni facultate co-  
gnoscitiva sumitur: minime pro externo sensu perinde ac inter-  
no, facultateque fingendi, & intellectu strictius accepto.

DEFINITIO.

§. 111. Est ergo intellectus in lata suppositione,  
seu, facultas cognoscitiva (§. 110.) mentis potentia

eatenus, quatenus in ea sufficiens cognitionis  
ratio continetur.

## SCHOLION. I.

§. 112. Et quum obiectum Logice considerationis sit cognoscitiva facultas (§. 110.), cuius cognitionem obiectum Logice operationis supponit, quod est huius facultatis ad determinandam veritatem directio (§. 108.): sane WOLFFIUS simotionem definitionum partium huius facultatis a Logica in Psychologiam ex methodo Euclidea minime defendet. Tali enim suppositio secundum hanc methodum tantum procedit: si subiectum tractationis genus per se sit notum; sique illius definitio, divisione & partitio nullum in demonstrationes, de subiecto generis instituendas, habeat influxum, quod de cognoscitiva facultate, eiusque partibus, minima dici potest. Ea de causa WOLFFIUS in elementis Philosophiae Rationalis scipissime etiam sumit, quod, ipsis praemissis positis, solide demonstrare potuisse: sicut eadem ratione impulsus multa ad Logicam spectantia simpliciter missa fecit, & Psychologiae reservauit.

## SCHOLION. 2.

§. 113. Sic e. g. §. 3. loco citato sumit, „exercitium facultatis cognoscitiva in cognoscenda veritate suis constare regulis,, „§. 5. loco citato, „dari quandam naturalem dispositionem mentis, dirigendi operationes eius in cognoscendo regulis istis conformiter, sed eam ad actum, multo magis ad habitum non deduci nisi praevio exercitio,,; multaque, alia, qua, ipso fatente, ex definitione cognoscitiva facultatis connexisque rite demonstrari potuissent: Et ea, que de notionum distinctarum &c: ab intellectu dependentia, notionibus sensualibus, fictis, & intellectualibus, ut & de perfectione & imperfectione cognitionis humanæ, deque tripli meditatione &c: docere debuisset, simpliciter dimouet.

SCHO-

SCHOLION. 3.

§. 114. Ex his atque totius tractationis methodo, qua diuersissimas materias necesse studet, aptas vero dissolvit, aliam alio dissipat, & disturbat, facile colligitur, illum systematis demonstrativi non habere notionem, nisi confusam, ex EUCLIDES elementis Geometriæ haustam, cuius methodum itaque magis imitatur, quam intelligit. Imitatur Euclidem; quia multa probanda sumit: non intelligit Euclideam methodum; quia contra hanc methodum tantas materiarum disputationes, immo disturbancestes instituit; nec ubique secundum Euclidis morem rite & legitime concludit, quod ex scriptis suis alio tempore exemplis ad oculos demonstraturus sum.

SCHOLION. 4.

§. 115. Et quod ad eius definitionem Logice attinet, quæ ita se habet: „Logica est scientia dirigendi facultatem cognoscitiam in cognoscenda veritate,„ ea non satis determinat

(a) genus, }  
 (b) obiectum, } Logice;  
 (c) finem, } itaque inadæquata exsilit, præsertim insufficiens ad Logice partitionem in docentem & videntem partem instituendam: siquidem videntem Logican tantum exponit; quemadmodum hæc Arithmetica definitio, per quam Arithmetica dicitur scientia, ex quibusdam datis numeris alias ignotas inuenire, quorum ad datos relatio datur, non est nisi practicæ partis Arithmetica definitio.

REFLEXIO.

§. 116. Secundum nostram vero, quam supra (§. 102.) dedimus, Logice definitionem Logica duplex habet obiectum:

- (a) considerationis; } (§. 108.)
- (b) operationis.

PARTITIO LOGICÆ.

§. 117. Quare etiam ista rationem partitionis Logicæ  
 in partem { theoreticam, seu, docentem, }  
 & in partem { practicam, seu, utentem } continet.

EXPOSITIO.

Quarum prior tradit cognitionem facultatis cognoscitivæ, & effectum huius facultatis ad actum deductæ: posterior vero regulas, quibus ista facultas in actu est dirigenda, quo veritas non solum inuestigetur, & cognoscatur, sed & propagetur.

SCHOLION.

§. 118. Omnes vero utriusque Logicæ partis partes legitime & accurate determinare, & dissertationis limites longe superat: & a scopo, qui generalia tantum cernit (§. 96.), maxime est alienum: quare sufficiet, ea adferre, quæ ex theoretica parte proxime nostras in demonstrationes influunt.

DEFINITIO.

§. 119. Hinc notandum venit, sensum eatus facultatem esse cognoscitivam, quatenus in ea est ratio sufficiens conscientiæ logicæ eorum, quæ nobis sunt præsentia.

REFLEXIO.

§. 120. Sed ea, quæ nobis sunt præsentia, sunt  
 (a) extra nos posita;  
 (b) in mente nostra.

PAR-

PARTITIO SENSUS.

§. 121. Hinc sensus in actu & potentia dispicitur  
(a) } in { externum,  
(b) } in { internum.

EXPOSITIO.

Prior versatur in rebus extra nos positis: posterior  
vero in iis, quae menti insunt.

SCHOLION.

§. 122. De sensu externo non est, ut hoc loco dicamus  
(§. 118.); sed de interno tantum, ad quem more veterum reservimus  
(a) sensum communem,  
(b) imaginationem,  
(c) memoriam.

DEFINITIO. 1.

§. 123. Sensus communis est sensus internus,  
quatenus per eum discernimus, quae menti insunt.

DEFINITIO. 2.

§. 124. Et quod ad imaginationem attinet,  
per eam intelligimus sensum internum, quatenus continet rationem praesentiae olim cogitatorum, vel absentium, vel praeteritorum.

THEOREMA.

§. 125. Actus imaginationis supponit actum aliarum facultatum facultatis cognoscitiae.

DEMON.

## DEMONSTRATIO.

Actus, qui intelligitur subiectiuus, ei dat existentiam (§. 128. diff: PRÆSIDIS de Exist: Dei), quod in facultate latet (§. 497. cc. diff: ) : ergo etiam actus imaginationis ei dat existentiam, quod in facultate imaginandi latet. Sed id, quod in hac facultate potentiam habet obiectiuam, est olim cogitatum (§. 124.); & olim cogitatum ab iis actum obtinuit obiectuum, quibus iste possibilis fuit, queaque sane non sunt, nisi cognoscituæ facultatis facultates aliae (§. 497. diff: cc. ) ad actum subiectiuum deducuntur: actus igitur imaginationis actum aliarum facultatum facultatis cognoscituæ supponit. Q.E.D.

## SCHOLION.

§. 126. Iste facultates sunt sensus externus, communis, intellectus, imo facultas singendi, cuius partes potentiales sunt communis siccio, & ingenium. Nonnullæ harum, intellectus, nimirum & ingenium, menti humanae magis sunt propriæ, quam reliquæ. Hinc *imaginationis* partitio intelligitur, qua *imaginationis* in *sensualem*, seu, *phantasmam*, & *mentalem* dispergitur, quam tamen non attendimus (§. 118.).

## REFLEXIO.

§. 127. Versatur autem *actus imaginationis* in reproducendis cogitationibus olim habitis (§. 124.):

(§. 124.): itaque statibus mentis præteritis & rerum absentium repræsentationibus distinetur.

Hinc *totalis* & *indefectibilis* ille *actus* existit, quem

- (a) facile olim *cogitata* reproducit,
- (b) multa, quæ cogitauimus, *simil*, &
- (c) eodem modo, quo cogitata sunt, absentia itaque tanquam præsentia, *repræsentat.*

CONSECTARIVM.

§. 128. Perfecta igitur est imaginatio, quæ facili negotio multa, quæ cogitata sunt, eodem modo repræsentat, quo mens ea olim repræsentauit.

DEMONSTRATIO.

Ens enim, quatenus indefectibile existit, est perfectum (§. 47. *diff. cc.*): & imaginatio, quæ facili negotio multa olim cogitata eadem repræsentat, indefectibilis existit (§. 127.). Q.E.D.

SCHOLION.

§. 129. Hæc *imaginationis perfectio* est ea, quam *viua* vocant *imaginationem.*

DEFINITIO.

§. 130. *Viua* igitur *imaginatio* est habitus *imaginationis*, multa olim percepta eo ordine reproducendi, quo mens ea olim repræsentauit.



SCHOLION.

§. 131. Hie *imaginationis habitus*, vt reliqui habitus mentis omnes, *exercitio adquiritur*, quod suis nititur regulis, quæ vero non sunt huius loci (§. 118.). Pergimus itaque nostra perficere: sed *imaginationem exicit memoria* (§. 122.).

DEFINITIO. 3.

§. 132. Hinc notamus, *memoriam esse sensum internum*, quatenus in eo est ratio conscientiæ logicæ, per quam agnoscimus, nos iterum & eodem modo cogitare, quæ & quomodo cogitauimus.

OBSERVATIO.

§. 133. *Possit hanc facultatem studio & industria perfici, id cognouimus experientia magistra.* Sunt enim, qui olim cogitata felicius memorie mandant.

THEOREMA.

§. 134. Datur itaque habitus memorie.

DEMONSTRATIO.

Omnis enim promptitudo in cauſando est habitus. Hinc quidquid ex promptitudine in cauſando evenit, ex habitu proſluit. Sed facilior memorie uſus, quo olim cogitata memorie felicius mandantur, ex promptitudine memo-



memoriæ euenit: ergo ex habitu memoriæ facilior iste vſus profluit. Iam facilior memoriæ vſus, quo olim cogitata felicius memoriæ mandantur, menti inexiſtit (§. 133.): conſequenter, *vi ſubſtitutionis*, etiam exiſtit, ſeu, da-  
tur habitus memoriæ. Q.E.D.

SCHOLION.

§. 135. Hic *memorie habitus* eſt idem ille, qui *felicit memorie nomine* venit.

DEFINITIO.

§. 136. Que igitur eſt habitus memoriæ, quo facile agnoscimus, nos iterum & eodem modo cogitare, quæ & quomodo cogitauim-  
us.

OBSERVATIO.

§. 137. Deprehendimus posſe nos cogitationibus nostris aliquam durationem dare, ita, ut nobis per aliquod tempus ſint praefentes. Sic, e.g. de triangulo & quadrato cogitans iſtas cogitationes per aliquod tempus ſimul praefentes feruare, & alteram altera conferre valet.

SCHOLION.

§. 138. Ab hoc effectu menti contemplationem tribuimus, qua fundamentum habet in omni fenſu extero & interno, preſertim imaginatione & memoria: quare eam ad ſecundarias fa-  
cilitatis cognoscitivæ facultates refert PRÆSES.

*DEFINITIO.*

§. 139. Ceterum, vi obseruationis (§. 137.) *contemplatio* est facultas cognoscitiva, quatenus in ea est ratio durationis præsentium cogitationum nostrarum.

*SCHOLION.*

Si. 140. Habitus huius facultatis, cum habitu sensus communis unitus, dicitur *attentio*.

*DEFINITIO.*

§. 141. Quare *attentio* est habitus mixtus, seu compositus ex habitu sensus communis & contemplationis, quo mens vnam cogitationem præ ceteris agitat.

*TRANSITIO.*

§. 142. Hæc de sensu. Sequitur intellectus stricte sic dicti considerationis, prout finis dissertationis eam urget (§. 118.).

*DEFINITIO.*

§. 143. Est autem intellectus in stricta suppositione facultas cognoscitiva etenim, quatenus in ea sufficiens est ratio obiecta distincte representandi.

*DEFINITIO.*

§. 144. Et *representatio* dicitur distincta, quæ obiectum per partes representat.

*CONSECTARIVM.*

§. 145. Intellectus igitur est facultas per partes obiecta representandi.

DEMON-

DEMONSTRATIO.

Nam facultas obiecta distincte repræsentandi est facultas per partes repræsentandi (§. 144.): & intellectus est facultas obiecta distincte repræsentandi (§. 143.). Q.E.D.

REFLEXIO.

§. 146. *Partes vero istae, per quas intellectus obiectum repræsentat, aut tantum ad cognoscendum, & ab aliis discernendum obiectum sufficiunt: aut ex iis cognoscitur, obiecto cuidam aliquid vel inesse, vel inesse posse.*

Sic intellectus cogitans,

circulus est  
| (a) superficies,  
| (b) orta ex motu rectæ;  
| (c) circa alterum extremum fixum,  
| (d) constanter, usque dum ad pri-  
mum huius motus locum,  
progressiuo;  
ex his partibus, sub quibus circulum contem-  
plationi subiicit, circulum tantum agnoscit, &  
ab aliis obiectis geometricis discernit: cogitans  
vero,

(a) omnis superficies ex motu rectæ  
orta est planum,

G 3

(b) cir-

(b) circulus est superficies ex motu re-  
ctæ orta,

(c) circulus est planum;  
ex his partibus mens intelligit, planitem ines-  
se circulo. Eodem modo intellectus intelli-  
git obiecto aliquid vel tantum non inesse, vel  
non inesse posse.

PARTITIO INTELLECTVS.

§. 147. Quare intellectus in duas facultates alias  
abit:

nimirum in facultatem *{(a) refleXendi,  
(b) ratiocinandi}*  
quarum priorem in actu vocant reflexionem, & alte-  
ram rationem, intellige subiectivam.

DEFINITIO.

§. 148. Reflexio ergo, seu, ut SCHOLASTICI  
loquuntur, actus reflexius, est actus intelle-  
ctus, quo eas obiecti partes detigit & deter-  
minat, ex quibus illud agnoscitur & disser-  
nitur.

SCHOLION. I.

§. 149. Habitus huius actus tres habet gradus:

nimirum *{(a) acumen,  
(b) penetrationem,  
(c) profunditatem,*  
qui ideo non, nisi quantitate intensua in actu distinguendi, & dif-  
feren-

ferentias discriminaque rerum detegendi & determinandi, differunt.

**SCHOLION. 2.**  
§. 150. Partes obiecti nec detegi, nec determinari possunt, nisi obiectum per aliquod tempus in cogitatione praesens existit: hinc *reflexio in contemplatione est fundata* (§. 139.).

**SCHOLION. 3.**  
§. 151. Reflexio vero, cum contemplatione coniuncta, continet rationem relationis, comparationisque & abstractionis subiectiva logicæ: quare etiam haec operationes recte intellectus operationes dicuntur (§. 148.).

**DEFINITIO. 2.**

§. 152. Hæc de reflexione: sequitur *ratio* (§. 147), a qua menti tribuitur facultas ratiocinandi. Hæc est intellectus catenus, quatenus in eo continetur ratio representationis partium, quibus nexus veritatum innoteat.

**SCHOLION.**  
§. 153. Hic nexus etiam datur citra intellectus nostri operationem: ideo distinguendum est

{ subiectivam  
inter rationem { &  
                    } obiectivam.

**THEOREMA.**

§. 154. Eruditio secundum partes omnes per intellectum absolvitur.

**DEMON.**

## DEMONSTRATIO.

Est enim vel distincta & systematica cognitio (§. 28.), quæ representationem per partes (§. 144.) & nexus cognitorum inuoluit (§. 195. diss. cc.), quem intellectus detegit (§. 145. 152.) vel habitus distinctam & systematicam cognitionem comparandi (§. 29.), qui iterum ad intellectum pertinet (§. 143. seqq.): eruditio itaque secundum partes omnes per intellectum absolvitur. Q.E.D.

## SCHOLION A.

DOCTRE §. 155. Aliter quidem sentit WALCH in Lexico philosophico sub articulo Gelehrsamkeit; die Grenzen, inquiens, der „Gelehrsamkeit sind weder allein in dem Verstande, noch allein im Willen zu suchen, wie verschiedene davor gehalten. Denn sie erfordern ein ganzes Gemüth, weil die wahre Gelehrsamkeit den Menschen glücklich machen muß, die bloße Erkenntniß aber so gar des wahrhaftesten Guten dieses nicht ausrichten kann, und niemand an einer Sache Vergnügen haben mag, wo er dieselbe nicht erkennt.“ Sed doctissimus vir fallaciam consequentis committit, qui ita argumentatur: Si vera eruditio hominem beatum & felicem reddere debet, ea mero intellectu non absolvitur: sed verum est prius; ergo & posterius. Nam in hoc arguendo consequentia maioris minime procedit: siquidem ex antecedente tantum colligi potest, veram eruditionem hanc posse esse mere speculativam, sed simul practicam affectuum, qua animis ad bonas actiones edendas inclinatur. Verum quidem est, cognitionem vel veri boni ad hominis

minis beatitudinem felicitatemque constituendam esse insuffici-  
entem: sed ex eo non consequitur, ut voluntas eruditionis causa  
sit concurrens. Dolemus eruditos in re tam ardua tam incom-  
plete, immo confuse, cogitare, quo beatitudinem & felicitatem hu-  
mani generis magis refutant, quam promouent.

SCHOLION. 2.

§. 156. SPINOZÆ principis auctores, cum WALCHIO hac  
in re (§. 155.) sentientes, inserviant, qui in corollario proposit:  
*XLIX. P. II. Ethices*, auctoritate CARTESII seductus, sta-  
tuit: voluntatem & intellectum esse unum & idem. Nam  
si hoc verum est: certe voluntas ab efficienda eruditione se fungi  
nequit. Sed falsa est SPINOZÆ, ex mente CARTESII hausta,  
assertio, qua impulsus, libertatem omnium menti præfracte abiudi-  
cat, quando *propositione XXXII. P. I. Ethices*: „voluntas, in-  
quit, „non potest vocari causa libera; sed tantum ne-  
cessaria: quia vt in demonstratione huius propositionis di-  
fertur docet veribus: „voluntas certus tantum cogitandi mo-  
dus est, sicuti intellectus: quem medium terminum etiam  
ad fert, dum *propositione XLVIII. P. II. Ethices* statuit: „in men-  
te nulla est absoluta, siue libera voluntas; sed mens ad  
hoc, vel illud volendum determinatur a causa, que  
etiam ab alia determinata est, & haec iterum ab alia, &  
sic in infinitum: quam sententiam passim ex eodem funda-  
mento contra obiectiones defendit, conferatur *LXII. Epist: in  
operibus posthumis p.m. 583. & seqq:* ubi praesertim p. 586. ad ob-  
iectionem: „quod, si a causis externis, secundum hypothesin  
Spinozianam, cogeremur, virtutis habitum acquirere pos-  
sit nemo: respondet: „nescio quis dixerit, non posse ex  
fatali necessitate; sed tantummodo ex libero mentis  
decreto, fieri, vt firmato, & constanti simus animo: &  
ad alteram obiectionem: „quod hoc posito omnis malitia  
excusabilis esset: respondendo pergit: „quid inde? nam  
„homi-

„homines mali non minus timendi sunt, nec minus per-  
„nictosi, quando necessario mali sunt: quum paulo  
ante, scilicet p. 584. dixerat: „ego eam rem liberam esse  
„dico, quæ ex sola suæ naturæ necessitate existit, &  
„agit.

SCHOLION. 3.<sup>o</sup>

§. 157. Hoc vero Spinozianum libertatis porrentum defor-  
matam suam formam a Cartesiana Philosophia accepisse  
(§. 156.), inde etiam patet quod CARTESIVS mentem ut  
substantiam mere cogitantem concepit. Nam quia huma-  
nam mentem tantum cogitantem concepit: consequens est, vt quo-  
que voluntatem non nisi certum cogitandi modum concipiatur, vi  
consequentie immediate ex applicatione principii nimisram con-  
tradictionis (§. 221. diff. cc.). Iam quini de intellectu, & quidem  
ex parte recte, immo catenus, quatenus in singularris versatur,  
quam redissime, statuit, illum non esse liberum: sane de volun-  
tate, qua actum semper in singularia intendit, non potuit non  
idem afferer. Quare etiam, libertatem omnem simpliciter ab  
actu ex naturæ suæ necessitate ducens SPINOZA (§. 156.), genui-  
nam, quæ in eo confitit, vt homo, moraliter sic agens, non solam  
ex propria vi, sed et cum animo alteri, saltem non agere, potuerit,  
deridet, qui, vt de libertate Dei dixit, eam in libera confidere ne-  
cessitate, loco citato, inquit: „Sed ad res creatas descendan-  
„mus, quæ omnes a causis externis determinantur ad ex-  
„sistendum, & operandum, certa ac determinata ratione.  
„Quod ut clare intelligatur, rem simplicissimam conci-  
„piamus. E. g. Lapis a causa externa, ipsum impellente,  
„certam motus quantitatem accipit, qua postea, cessa-  
„te causa externæ impulsu, moueri necessario perget.  
„Hac igitur lapidis in motu permanentia coacta est,  
„non quia necessaria; sed quia impulsu causæ externæ  
„definiri debet; & quod hic de lapide, id de quacunque  
„re

„re singulari, quantumvis illa composita, & ad plurima  
 apta esse concipiatur, intelligendum, quod scilicet via-  
 quæque res necessario a causa externa aliqua determi-  
 natur ad existendum, & operandum certa, ac determi-  
 nata ratione. Porro, concepe iam, si placet, lapidem,  
 dum moueri pergit, cogitare, & scire, se, quantum pot-  
 est, conari, ut moueri perget. Hic sane lapis, quando-  
 quidem sui tantummodo conatus est conscientis, & mi-  
 nime indifferens, se liberrimum esse, & nulla alia de  
 causa in motu perseverare creder, quam quia vult.  
 Atque hæc humana illa libertas est, quam omnes ha-  
 bere iactant, & que in hoc solo consistit, quod homi-  
 nes sui appetitus sint consciæ, & causarum, a quibus  
 determinantur, ignari. Sic infans, se lac libere appetere  
 credit; puer autem iratus vindictam velle, & timidus  
 fugam. Ebrius deinde credit, se ex libero mentis decre-  
 to ea loqui, quæ postea sobrius tacuisse vellet. Sic de-  
 lirans, garrulus, & huius farinæ plurimi, se ex libero  
 mentis decreto agere, non autem impetu ferrri, cre-  
 dunt. Et quia hoc præiudicium omnibus hominibus  
 innatum est, non ita facile eodem liberantur. Nam  
 quamvis experientia satis superque doceat, homines  
 nihil minus posse, quam appetitus moderari suos, &  
 quod sepe, dum contrariis affectibus conflictantur,  
 meliora videant, & deteriora sequantur, tamen libe-  
 ros esse credunt, idque propterea, quod res quasdam  
 leuiter appetant, & quarum appetitus facile potest con-  
 trahi memoria alterius rei, cuius frequenter recorda-  
 mur. His, quænam mea de libera, & coacta necessitate,  
 deque facta humana libertate sit sententia, satis, ni fallor,  
 explicui.

## SCHOLION. 4.

§. 158. Reliquis circa SPINOZÆ aliorumque de voluntate eiusque libertate doctrinam dicendis, a scopo nostro maxime distantibus, supersedentes, id tantum monemus, WOLFFIVM ex eo demonstrationem contingentia eventuum in vniuerso suscepisse, ex quo SPINOZA omnium necessitatem deducit. Ita enim scribit WOLFFIVS in den vernünftigen Gedanken von Gott sc. §. 579. „Nun bekommen wir einen rechten Verstand von dem Zufälligen in der Welt. Wie erkennen, daß zufällige Begebenheiten nicht anders ihre Wirklichkeit erreichen können, als durch eine Reihe unzähliger anderer Dinge, die vor ihnen vorhergegangen, und neben ihnen zugleich sind, deren Gestalt, daß, wenn man ihren Grund anzeigen soll, derselbe immer einen neuen Grund hat ohne Aufhören. Quum SPINOZA in P. I. Ethice prop. XXXVIII. dicit: „Quodcumque singulare, sive, quævis res, qua finita est, & determinata habet existentiam, non potest existere, nec ad operandum determinari, nisi ad existendum & operandum determinetur ab alia caussa, quæ etiam finita est, & determinata habet existentiam: & rursus hæc caussa non potest etiam existere, neque ad operandum determinari, nisi ab alia, quæ etiam finita est, & determinatam habet existentiam, determinetur ad existendum, & operandum, & sic in infinitum: ex qua propositione deinde in prop. XXXII. negat: „voluntatem vocari posse caussam liberaliter: & e contrario affimat: „eam tantum esse necessariam.

## SCHOLION. 5.

§. 159. Sed utique fallaciam a dicto secundum quid ad dictum simpliciter committit. Siquidem neque statim contingens existit, quod a serie indefinita aliarum rerum innumerabilium

Muna ad existendum vel operandum determinatur; quia ad contingentiam praesertim determinabilitatis varietas requiritur, quam, licet ei determinatio unius ab altero non repugnet, tamen non involuit: neque illud, quod ab alio ad operandum determinatur, statim necessario, saltem coache, agit; quia necessitatis requisitum est vniuersitas determinabilitatis, conferatur. *PRÆSIDIS commentatio de sensu & usu principii rationis sufficientis §. 51. & seqq.* Melius itaque WOLFFIUS fecisset, si in *Cosmologia generali latine edita* §. 83. ex alio fonte istam contingentiam deduxisset. Loquitur quidem indefinitè: sed indefinita propositio in doctrinalibus habetur pro vniuersali. Itaque sane incaute rem suam egit. Sed nimis multa de his, quæ missa facimus (§. 158): revertamur in viam.

*DEFINITIO.*

§. 160. *Idea* est obiecti nuda in cogitatione repræsentatio-

*EXPOSITIO.*

Sumitur autem

- (a) *Idea late* pro qualibet obiecti nuda in cogitatione repræsentatione, cuiuscunque ista repræsentatio sit formæ.
- (b) *repræsentatio obiectiva*, pro repræsentamine, quia repræsentatio subiectiva simplicem adprehensionem constituit.

*DEFINITIO.*

§. 161. Et *idea obscura* est idea, quæ obiectum tantum ex parte repræsentat.

*REFLEXIO.*

§. 162. Hinc *obscura idea* ea non continet,

H 3

quæ

quæ ad agnoscendum obiectum & ab aliis discernendum pertinent (§. 161.).

CONSECTARIVM.

§. 163. Quare etiam ad agnoscendum obiectum & ab aliis discernendum non sufficit.

DEMONSTRATIO.

Ea enim, quæ ad agnoscendum obiectum & ab aliis discernendum pertinent, non continent (§. 162.). Q. E. D.

DEFINITIO.

§. 164. Clara vero *idea* est, in qua ea continentur, quæ ad cognoscendum obiectum & ab aliis discernendum requiruntur.

CONSECTARIVM.

§. 165. Ergo ad obiectum cognoscendum, & ab aliis discernendum sufficit.

DEMONSTRATIO.

Ad quod enim, ut aliquid praestet, aliud non requiritur illud est sufficiens (§. 11. com: c. PRÆS:); & ita se habet clara notio (§. 164.). Q. E. D.

DEFINITIO.

§. 166. *Idea distincta* est idea clara, quæ actu ex ideis partium, saltem eorum constat, quæ ad

ad obiectum cognoscendum & ab aliis discer-  
endum sufficiunt.

REFLEXIO.

§. 167. *Distincta idea ex aliis est concreta,*  
quæ ad totam ideam, seu, ideam totius obiecti,  
eodem modo se habent, ut partes ad totum  
(§. 166).

HYPOTHESIS.

§. 168. *Ideas, in quas distincta sese resoluit,*  
*partiales, & ideam ex partialibus conflatam; to-*  
*talem vocamus.*

DEFINITIO.

§. 169. *Est itaque partialis notio, notio, quæ*  
ad aliam se habet, ut pars ad totum, seu, quæ  
alterius notionis pars existit.

DEFINITIO.

§. 170. *Totalis vero idea est notio, quae in*  
alias tanquam partes est resolubilis.

CONSECTARIVM.

§. 171. *Consequenter distincta idea ex partiali-*  
bus ideis est composita.

DEMONSTRATIO.

*Est enim ex aliis concreta, quae ad eam*  
eodem modo se habent, quo partes ad totum  
(§. 167.).

(§. 167.): quaecunque vero notio ex eiusmodi ideis est conflatata, ea ex ideis partialibus est composita (§. 169). Q.E.D.

LEMMA.

§. 172. *Omnis cogitatio est in mente, vel etiam in spiritu.*

EXPOSITIO.

Hoc est, non per se existit; sed inexistit, nimis rursum menti.

THEOREMA.

§. 173. Distincta idea est actio intellectus.

DEMONSTRATIO.

Distincta idea est idea (§. 166.); omnis vero idea est obiecti representamen, quod actum habet obiectuum in cogitatione (§. 160.), quae menti inexistit (§. 172.): ergo idea distincta menti inest. Sed idea, quatenus est distincta, ex partialibus est composita (§. 171.), quae ad totalem (§. 170.) sese habent, ut partes ad totum (§. 169.). Hinc distincta idea dicitur representatio per partes (§. 166.), quae est intelligibilis ex eo, quod intellectus est facultas per

per partes repræsentandi (§. 145.): consequenter in intellectu est ratio inexistentiæ distinctæ ideae (§. 61. diss: cc.). Iam effectus in subiecto agente, qui in ipso agente sufficientem habet rationem, est actio (§. 137. diss: cc.): distincta igitur idea est actio intellectus. Q.E.D.

DEFINITIO.

§. 174. *Confusa idea* est idea clara, quæ, licet in partiales notiones sit resolubilis, actu tamen nullas in se continet.

SCHOLION.

§. 175. Differt itaque ab iis, que absolute sunt simplices, quæque ideo in partiales sunt irresolubiles, & in cognitione adæquata primitiæ appellari possunt. A vero itaque aberrant, qui cum LOCKIO in tract: de intellectu humano C. II. L. II. sensuales ideas pro simplicibus habent. Sunt enim ideas sensuales, quarum principium effectuum est sensus, quæ nobis praesentia repræsentant (§. 119.); quæ vero nobis sunt præsentia, præsens extra nos, composita existunt: quare illorum ideas incompositæ, seu simplices esse nequeunt. Falluntur itaque neutriquam miserrime, qui has ideas cum LEIBNIZIO confusione accusant.

DEFINITIO.

§. 176. *Completa idea* est idea distincta, cuius partiales notiones ad ideatum cognoscendum & ab aliis discernendum sufficienes existunt.

I

CON-

CONSECTARIUM.

§. 177. Completa igitur idea est actio intellectus.  
DEMONSTRATIO.

Omnis enim idea distincta est actio intellectus. (§. 173.): & completa idea est distincta (§. 176.). Q.E.D.

DEFINITIO.

§. 178. *Definitio* est expressio notionis compleiae per verba, adiecto ideati nomine.

REFLEXIO.

§. 179. In omni itaque definitione occurrit:  
(a) *notio completa*, quæ verbis exprimitur;  
(b) *nomen ideati*, quod totali respondet  
ideæ.

SCHOLION.

§. 180. Notionem completam verbis expressam ab officio suo definitiū vocant *notionem*; nonen vero ideati, quod confuse hoc denotat, *definitum* dicitur. Hinc recte Logici statuunt: *definitionem constare ex definito & notione definitiva*: quam ali, qui de ambiguitate, a scientiis remouenda, non curant, *definitiōne* appellare solent.

THEOREMA.

§. 181. Omnis definitio est ab intellectu dependens.

DEMON-

DEMONSTRATIO.

Omnis definitio est notionis completae expressio (§. 178.): expressio vero notionis completae eiusmodi notionem supponit; & notio completa est actio intellectus (§. 177.). Quidquid ergo notionem completam supponit, illud actionem intellectus supponit: consequenter ab intellectu est dependens. Hinc omnis definitio ab intellectu dependet.

Q. E. D.

REFLEXIO.

§. 182. Omnis notio completa respicit:

vel  $\begin{cases} \text{nomen, seu, symbolum ideati;} \\ \text{ideatum ipsum. Quod cognoscimus:} \end{cases}$   
vel ex  $\begin{cases} \text{consecutiuis;} \\ \text{constitutiuis} \\ \text{utrisque.} \end{cases}$

Quorum  $\begin{cases} \text{illa sunt vel } \begin{cases} \text{propria;} \\ \text{accidentia;} \end{cases} \\ \text{haec vero vel } \begin{cases} \text{interna;} \\ \text{externa.} \end{cases} \end{cases}$

DIVISIO.

§. 183. Ex his omnem definitionis diuisionem sequens exhibet schema, quod instar est prædicamenti.

Definitio est			
vel			
pura	mixta		
vel			
realis	nominalis		
vel	vel		
primaria	secundaria	grammat:	logica
vel	vel		vel
logica metaph:	finalis genetica	perfecta imperfecta	
		vel	
		perfecta imperfecta	

SCHOLION. I.

§. 184. Definitiones, quas reflexio (§. 182.) supplet, breuitatis causa omittimus, tantum monentes, grammaticam definitionem eam esse nominalem, quam Scholastici definitionem vocant per transmutationem.

SCHOLION. 2.

§. 185. WOLFFIUS in elementis philosophie rationalis §. 191. definitiones tantum diuidit in nominalem, & realem. Nominalem vero §. 192. 193. iterum in essentiale, & accidentale resolut: quum denique §. 194. seqq: realem & geneticam, partim synonymice sumit; partim ut genus & speciem

speciem distinguit. Sequitur hanc diuisionem ex auctoritate LEIBNIZI, qui in actis eruditorum an. 1684. p. 540. eam docuit. At

- (a) ista diuisio est contra canonem: diuisio non sit angustior definitio: quia non omnes definitionum species exhibet (§. 183.) ;
- (b) definitio definitionis nominalis, quam his verbis proponit: „nominalis dicitur definitio, per quam non patet, rem definitam esse possibilem; est negativa;
- (c) falsum est, quod in reali, speciatim genetica, supponit, eam scilicet, rem esse possibilem semper manescare. Nam qui Geometriam nescit, ex hac genetica bilinei rectilinei definitione, quod sit superficies plana, orta ex mutuo utrinque concursu extremorum duarum rectarum, de possibilitate bilinei rectilinei iudicare nequit: qui vero geometrica scientia est imbutus, ex essentiali aequa ac ex genetica possibilitatem obiecti detegere potest. Et quem fugit, essentiali, qua possibilem, continere rationem genesis possibilis, quod Geometria elementaris multis probat exemplis, ex quibus tantum nomine illud de rectilineo triangulo aequilatero. Hinc
- (d) vtraque definitiva notio, cum nominalis, tum realis definitionis, latior est definitio;
- (e) ratio diuisionis essentialis est extrinseca & accidentalis: vbius scilicet definitionum. Quod est contra leges definitionis logicæ.
- (f) Confundit Auctor celeberrimus fictas definitiones, & nominales. De fictis enim valet, quod de nominalibus asserit. Possunt quidem nominales esse fictæ: sed

(a) non omnis nominalis est ficta;  
 (b) etiam reales fingi possunt, immo impossibilis; quia  
 lis est haec memoria definitio: „Das Ge-  
 dächtniß ist eine Wirkung der mensch-  
 lichen Seele, vermöge deren sie die ges-  
 fäste Wörter in einem kalten und seuch-  
 ten Gehirne bildet und fest eintrückt:  
 cuiusmodi farinx adhuc plures extant in tracta-  
 tu: die wahre Gelehrsamkeit nebst  
 beygefügter Kunst, den besten  
 und kürzesten Weg zu einer rech-  
 ten Erkenntniß der Wissenschaften zu finden.“

SCHOLION. 3.

§. 186. *Obligationis definitionem* Auctor doctissimus  
 §. 195. loco citato ut exemplum realis definitionis adserit, que ita se  
 habet: „obligatio est connexio motu cum actione libera.  
 Hanc vocat realem: „quia ex ea innoteat modus, quo  
 quis obligari potest, atque adeo obligatio possibilis in-  
 telligitur. Quod iam ad allatam definitionem attinet, illa quidem  
 melioris est conditionis trita Iureconsultorum, que ita sonat:  
 „obligatio est vinculum iuris, quo necessitate adstringi-  
 mur alicuius rei præstante: queque peccat

- (a) contra canonem: *definitiones tropicae & analogae a scientiis exulant*
- (b) contra canonem: *notio definitiva continet definiti priora eadem, quatenus id fieri potest:*
- (c) contra canonem: *notio definitiva notior sit definitio:*
- (d) *laborat ex circulo vitiioso: obligatio enim per vinculum iuris definitur, & ius, quod hac in definitione pro lege sumitur, per decretum, quo superius*

perior sibi subiectum *obligat*, vt ad illius præscriptum actiones suas componat, qua *communem*, ex Imperatoris auctoritate datum, definitionem, quæ legem declarat esse commune præceptum summi imperantis, obligans cives, vt ad eius normam actiones suas componant, quæque est inadæquata, vt pote quæ non omnes leges comprehendit, emendare contenduntur;

sed negari tamen nequit,

- (a) *eam esse metaphoricam*; quia connexio propriæ haud sumitur;
- (b) *enim definituum notionem esse latorem definito*; qui enim e. g. emit librum, connectit motuum cum actione libera, attamen non obligatur;
- (c) licet concedamus, *eam esse realem*, scilicet, *metaphysicam*, ex materia & forma constante; negamus tamen, ex ea possibilitatem obligationis immediate innescere.

#### DEFINITIO.

§. 187. *Iudicium* est distincta in cogitatione obiecti & eorum repræsentatio, quæ obiecto insunt, vel inesse possunt, quatenus ei insunt vel in actu, vel in potentia.

#### THEOREMA.

§. 188. Omne iudicium pendet ab intellectus operatione.

#### DEMONSTRATIO.

Omne iudicium est distincta in cogitatione

tione repræsentatio (§. 187.); & distincta repræsentatio est repræsentatio per partes (§. 144.) eiusmodi yero repræsentatio ab intellectus operatione dependet (§. 145.): ergo iudicium ab intellectus operatione pendet. Q.E.D.

REFLEXIO.

§. 189. In omni iudicio tria, ex quibus omne iudicium componitur, potissimum notanda veniunt: nimurum

- (a) obiectum, de quo cogitamus;
- (b) ea, quæ de obiecto ut talia cogitamus, quæ ei insunt, saltem inesse possunt;
- (c) incessentia, seu, nexus, quo ista præsentantur.

CONSECTARIUM.

§. 190. Ideæ igitur, obiecti, eiusque, quod ei inesse concipitur, & incessentiae, iudicii materiam constituant.

DEMONSTRATIO.

Id enim, ex quo aliquid est, illius dicitur materia, vi preparationis (§. 85.): & istæ ideæ sunt id, ex quo iudicium componitur (§. 189.).

Q.E.D.

DE-

DEFINITIO.

§. 191. *Propositio est expressio iudicij per verba.*

THEOREMA.

§. 192. In qualibet propositione tria potissimum sunt exprimenda.

DEMONSTRATIO.

Primaria iudicij notanda sunt tria (§. 189.). Quidquid igitur iudicium exprimere debet, illud potissimum tria exprimere debet; sed propositio iudicium exprimere debet (§. 191.): ergo in qualibet propositione tria potissimum sunt exprimenda. Q. E. D.

SCHOLION.

§. 193. Quare qualibet *propositio*, aut explicité, aut implicité, tribus absoluitur vocabulis, seu, verbis, *subiecto* scilicet, *copula*, & *predicato*, quæ materiam propositionis constituant, *vis* *parationis* (§. 85.).

REFLEXIO.

§. 194. *Predicata*, quæ de subiecto cogitamus, sunt

aut {*affirmativa*, seu, *positiva*, }  
          {*negativa*, } entia.

K

DIVISIO.

DIVISIO.

§. 195. Hinc tam iudicium, quam propositio in duas  
abit species:

quarum { una affirmativa, } comprehendit.  
altera negativa,

THEOREMA.

§. 196. Omnis propositio est ab  
intellectus operatione dependens.

DEMONSTRATIO.

Omnis propositio est iudicij expressio  
(§. 191.); expressio vero iudicij iudicium, quod  
ea exprimi debet, supponit; & omne iudi-  
cium ab intellectus operatione dependet (§. 188.):  
quidquid igitur iudicium supponit, intellectus  
operationem supponit. Hinc illud ab intel-  
lectus operatione est dependens. Ergo omnis  
propositio ab intellectus operatione est depen-  
dens. Q.E.D.

DEFINITIO.

§. 197. Ratiocinium est distincta in cogita-  
tione representatio dispositionis, seu, nexus  
mutui materiae cuiusdam iudicij, subiecti scili-  
cet, & praedicti (§. 193.), cum ratione, ex qua iu-  
dicij veritas colligitur.

RE.

REFLEXIO.

§. 198. *Ratiocinium* constat:

- (a) ex iudicio, cuius veritas ex nexu mutuo materiæ huius iudicij cum ratione quadam colligitur;
- (b) ex nexu rationis cum subiecto;
- (c) ex nexu rationis cum prædicato illius iudicij (§. 197.).

THEOREMA.

§. 199. Ergo ratiocinium ex partibus constat, quibus veritas innoteſcit.

DEMONSTRATIO.

Ratiocinium enim constat ex uno, & uno, & uno (§. 198.), hoc est, multis (§. 10. diss. cc.), quæ vnum ratiocinium efficiunt; multa vero, quæ simul sumta vnum constiuent, eatenus sunt partes (§. 105. diss. cc.): quidquid igitur ex multis constat, quibus veritas innoteſcit, illud ex partibus, quibus veritas innoteſcit, constat. Hinc ratiocinium ex partibus constat, quibus veritas innoteſcit. Q.E.D.

K 2

THEO-

THEOREMA.

§. 200. Omne ratiocinium a rationis actu dependet.

DEMONSTRATIO.

Omne ratiocinium est repræsentatio per partes, quibus nexus veritatis innoteſcit (§. 199.); & repræsentatio per partes, quibus nexus veritatis innoteſcit, facultatem per eiusmodi partes repræsentandi ſupponit, a cuius actu, ſeu, operatione, iſta repræzentatio obiectua in cogitatione ſuam obtinet exiſtentiam; iſta vero facultas ratio dicitur (§. 152.): omne igitur ratiocinium a rationis actu dependet. Q.E.D.

DEFINITIO.

§. 201. Ratiocinatio eſt actus rationis, quo ratiocinia formantur.

SCHOLION.

§. 202. Itaque inde patet ratio denominationis horum effectionum intellectus, ad quem ratio pertinet (§. 147.): quia nimirum a ratione pendent (§. 200.), hoc eſt, ratiocinando eſſeruntur (§. 201.); ratiocinia dicuntur.

DEFINITIO.

§. 203. Syllogismus eſt expressio ratiocinii per verba.

THEO-

THEOREMA.

§. 204. Omnis syllogismus ab intellectus operatione est dependens.

DEMONSTRATIO.

Omnis syllogismus est expressio ratiocinii (§. 203.); expressio vero ratiocinii ratiocinium, quod exprimi debet, supponit; & omne ratiocinum a rationis actu dependet (§. 200.), qui ad intellectum pertinet (§. 152.): quidquid igitur ratiocinum supponit, intellectus operationem supponit; ideoque ab intellectus operatione est dependens. Omnis igitur syllogismus ab intellectus operatione est dependens. Q.E.D.

SCHOLION.

§. 205. A syllogismo differt consequentia immediata: si quidem syllogismus semper ex duabus premisis inferit; quum immediata consequentia ex vnica premissa concludit. WOLFIVS quidem omnes consequentias immediatas pro syllogismis habet, conferantur tractat: de virtutibus intellectus §. 117. & cogitationes rationales de Deo, mundo, & mente humana, ut &, de ente in genere §. 354. seqq: imo, elementa Philosophiae rationalis §. 445 seqq: sed ipsis progressibus, quos WOLFFIVM in mentis cognitione fecisse THVMMIGIVS somniat (§. 7.), sane non confat, syllogismos, quibus immediatae consequentiae probantur,

cum ipsis consequentiis immediatis confundere; & ridiculum est, per propositiones identicas immediatas consequentias ad perfectos syllogismos reducere, eaque reductione necessarium illarum usum in ratiocinando probare; quia id idem est, ac afferre, nugationes in ratiocinando magni esse momenti. Nos ita statuimus: omnis syllogismus tres habet terminos; consequentia vero immediata ex subalternatione, quae WOLFFIANO quidem iudicio per propositionem identicam ad syllogismum reducitur, non habet tres terminos: ergo haec immediata consequentia non est syllogismus.

*DEFINITIO.*

§. 206. *Probatio* est argumentatio, quaenam ea ad conuincendos alios utimur.

*SCHOLION.*

§. 207. Quare ea potest constare vel ex uno, vel ex pluribus syllogismis, vel episyllogismis, vel prosyllogismis, vel etiam, pro sublustrata materia, ex immediatis consequentiis.

*REFLEXIO.*

§. 208. *Probatio*, quoad formam, semper eadem est, quoad materiam vero, differt: utpote que constare potest,  
aut ex {  
    inconclusis  
    insufficientibus}, principiis, seu, præmissis.

*DIVISIO.*

§. 209. *Probatio* itaque est duplex;

- (a) *persuasio*;
- (b) *demonstratio*.

*DEFINITIO.*

§. 210. *Persuasio* est probatio, quæ ex principiis insufficientibus concludit.

*SCHOLION.*

## SCHOLION.

§. 211. Sumitur vero hoc loco *persuasio subiectiva*: *objectione* enim ea nota errorum circa certitudinem, quo quis putat, se esse certum, qui tamen certus non est.

## DEFINITIO.

§. 212. *Demonstratio* vero est probatio, quæ principiis nititur inconcussis & immotis, imo necessariis.

## REFLEXIO.

§. 213. *Intelligimus autem ex principiis conclusando,*

ipsum demonstrandæ propositionis  
aut { veritatem;  
tantum negationis illius propositionis  
absurditatem.

## DIVISIO.

§. 214. Hinc *demonstratio recte dividitur*,

(a) } in directam;  
(b) } in indirectam, seu, apagogicam.

## DEFINITIO.

§. 215. *Directa demonstratio* est ea, quæ ipsum conclusionis veritatem ex præmissis facit intelligibilem.

## DEFINITIO.

§. 216. *Apagogica vero demonstratio* est, quæ absurditatem negationis theseos demonstrandæ

dæ in apricum ponit, & ex eo veritatem quæstionis infert.

REFLEXIO.

§. 217. *Præmissæ, ex quibus directa demonstratio infert, sunt*

*essentia subiecti,*  
*vel causæ,*  
*conuenientia subiecti cum demonstratis.*

SUBDIVISIO.

§. 218. *Quare demonstrationem directam possimus cum veteribus distribuere*

*(a) in demonstrationem etiologicam, seu, r̄g dioti,*  
*(b) in demonstrationem ostensiā, seu, r̄g öti.*

DEFINITIO. 1.

§. 219. *Demonstratio r̄g dioti, vel ex essentia, vel ex causis, aut affectionem, aut effectum, infert.*

DEFINITIO. 2.

§. 220. *Demonstratio vero r̄g öti prædicatum de subiecto ex conuenientia huius cum aliis subiectis notarum affectionum probat.*

SCHOLION.

§. 221. *Demonstrationem r̄g öti, que etiam apagogica esse potest, nec semper vel ab essentia, vel a causa, stricte sic dicta, procedit vel ad affectionem, vel ad effectum, aliquando & demonstrationem vocant, a priori; unde bene colligi potest, demonstrationem a posteriori.*

*posteriori, vel ab effectu, vel affectione, aut ad causam, aut ad effectum, aut ad id procedere, quod est posterius principio.*

REFLEXIO.

§. 222. Ceterum ex his patet, *habitum, seu perfectionem intellectus, omnem versari aut in {stabilendis principiis; formandis conclusionibus: vel {speculatiis; practicis.*

DIVISIO.

§. 223. Hinc omnem *habitum intellectus divisionem sequens exhibet schema: est nimurum (§. 222.)*

<i>Habitus intellectus</i>	<i>intelligentia</i>	<i>scientia</i>
<i>vel</i>		
<i>affectionis</i>	<i>effectus</i>	
<i>vel</i>		
<i>sapientia prudentia</i>	<i>liberalis illeiberalis</i>	<i>seu mechanica</i>

L

DEFI-

**DEFINITIO.**

§. 224. *Intelligentia est habitus intellectus principia stabilendi*

**SCHOLION.**

§. 225. *Perfecta est intelligentia, que versatur in principiis* {  
 (a) *inueniendis;*  
 (b) *confirmandis;*  
 (c) *ordinandi.*

Hinc ad eam pertinent,

- (a) *habitus bene distinguendi, discernendique & abstrahendi &c.; hoc est, acumen, penetratio, & profunditas (§. 149.).*
- (b) *habitus rationandi:* ut ideo intelligentia sit reflexu actus (§. 148.); vt & rationis (§. 152.), habitus. Propterea quoque dicitur habitus intellectus, qui utramque partem continet (§. 147.).

**DEFINITIO.**

§. 226. *Scientia est habitus intellectus legitime argumentandi, hoc est, conclusiones ex principiis deriuandi.*

**SCHOLION. 1.**

§. 227. *Scientia itaque supponit intelligentiam; quia supponit principia (§. 226.), in quibus intelligentia versatur (§. 224.); intelligentia vero potest esse profunda (§. 225.): quare scientia cum profunda intelligentia coniungi potest. Et postea scientia est solida.*

**SCHOLION. 2.**

§. 228. Porro ad scientiam quidem maxime habitus rationandi

cinandi spectat (§. 226.), quo conclusiones per ratiocinia formantur (§. 201.) sed propterea haud omnis actus reflexius habitus a scientia excluditur, qui potius inuoluatur; quis per actum reflexuum ratiocinatio non solum inchoatur, sed & continuatur. Ea de cauſa scientiam quoque per habitum intellectus definitiūm (§. 226.), qui, & reflexionem, & rationem, una comprehendit (§. 147.).

SCHOLION. 3.

§. 229. Imo, scientia sine eructo ingenio integra non est; quia integrā scientia sine arte inueniendi non consilit; ars vero inueniendi eructum ingenium poscit, quod ex subsequentibus patebit.

REFLEXIO.

§. 230. Scientia versatur in conclusionibus (§. 226.), quae mentem

aut { tantum ad certam rerum cognitionem  
nem ducunt;  
{ simul efficacem reddunt, ad hoc, vel  
illud, agendum.

DIVISIO.

§. 231. Hinc scientia ex sufficiente ratione dividitur,

(a) { speculativam, seu, theoreticam;  
in {  
(b) { practicam.

DEFINITIO. I.

§. 232. Quod iam ad scientiam speculativam attinet, ea est scientia, quae in nuda cognoscibiliū cognitione certa acquiescit,

SCHOLION.

§. 233. *Eiusmodi scientia sunt Metaphysica & Physica.* Referunt quidam ad eas etiam scientias mathematicas: sed false: quia istae, nisi omnes, faltem plurime, mixta sunt scientia.

DEFINITIO. 2.

§. 234. *Scientia vero practica est scientia, quæ in conclusionibus, intelligentem substantiam in agendis, dirigentibus, versatur.*

SCHOLION. I.

§. 235. Attamen, *eiusmodi scientia non est destituta intelligentia sua:* quia nulla scientia sine intelligentia subsistit (§. 227.).

SCHOLION. 2.

§. 236. Quandoquidem *scientia theoriam cum praxi coniungit;* unde *scientia mixta* oritur, quam alii *theoretico-practicam* vocant. Et *eiusmodi scientia est Logica, Arithmetica, Geometria, & plures aliae scientiae.* Ceterum ex his simul innescit, quanam scientia sint pure.

REFLEXIO.

§. 237. *Conclusiones practice scientiæ porro tantum sunt directrices, seu, tantum præaut;* *sunt in agendo;* *simil influunt in effectum producendum.*

SUBDIVISIO.

§. 238. *Hinc scientiæ practicæ recte dividuntur,*  
 (a) *in affectivas;*  
 (b) *in effectivas.*

DEFI.

DEFINITIO. 1.

§. 239. Scientia effectiva est scientia practica,  
quæ actiones intelligentis substantiae dirigit,  
seu, ipsis actionibus, cum conclusionibus suis,  
tantum praest.

DEFINITIO. 2.

§. 240. Et scientia effectiva est scientia practica,  
quæ intelligentem substantiam ad effectus  
producendos idoneam & promptam  
redit.

SCHOLION.

§. 241. Haec scientia etiam artes dicuntur, quas igitur ARISTOTELES Lib: 6. Eth: c. 4. haud inepte definit per habitum  
recta cum ratione effectuum. Hinc simul appareret, quo ars  
ab empiria differt: illa nimirum nititur principiis; quibus hac est  
definita.

REFLEXIO.

§. 242. Directio actionum supponit finem, ad  
quem obtinendum actiones diriguntur: atque hic ideo finis dicitur intentionis; sicuti  
actiones, quibus ille obtinetur, media dicuntur.  
Habitus igitur intellectus, qui huic negotio praest,  
aut versatur in { detegendis, eligendisque & ordi-  
nandis mediis;  
executione mediorum.

SUBALTERNA DIVISIO.

§. 243. Quare scientia affectiva pariter æqualiterque diuiditur,

(a) sapientiam

in

(b) prudentiam, quæ ad sapientiam eodem se habet modo, ut scientia omnis ad intelligentiam, hac tamen cum differentia, ut prudentera sœpe sit sine sapientia, & vice versa.

DEFINITIO. I.

§. 244. Sapientia enim est scientia affectiva, quæ in determinatione optimi finis & vltimi, & in mediorum optimorum, ad optimum finem & vltimum ducentium, detectione, electioneque & ordinatione versatur.

SCHOLION. I.

§. 245. Veteres quidem ab initio per sapientiam certam ac rationalem cognitionem omnem, speculatiuum, & practicam, supra vulgarem euectam, denotarunt, videatur PLVTARCHVS Lib: I. de placitis Philosophorum; item HEVMANN in actis Philosoph: Part: I. p. 66. at amplius iste significatus rationem habet partim in confusa habituum intellectus cognitione, vi cuius, unico vocabulo, seu, symbolo discernibilia indigitantur; partim in analogia eiusmodi certa, ac rationalis, cognitionis, cum vera sapientia huius vniuersi obiectua, quæ DEO originem debet, quod PITHAGORÆ modestia pro-

probat, qua motus, maluit nominari φρόσεος, quam εργασίας; partim in nexu scientiarum, ob quem omnes pro uno eodemque toto habebantur. Verum enim vero, quum omnis harum rationum determinato vocabulorum usui repugnet; & distincta cognitio non solum totius, sed & partium denominaciones requirat: non mirum, ut tempora hanc vocis acceptiōnem abrogauerint.

SCHOLION. 2.

§. 246. ARISTOTELES Lib: IV. Metaph: C. 2. Metaphysicam vocat sapientiam; quia ei sapientia est: „habitus praestantissimus scientiam cum intellectu, seu, intelligentia, coniungens: conferantur ZABARELLA Lib: I. de natura Logice C. 2. CONIMBRICENSES in commentariis in uniuersam dialecticam T. II. p. m. 688. qui „sapientia,, inquit „ex Aristotele primo Metaphysicæ Cap. 2. est cognitio rerum per altissimas caulis: item, SCHEIBLER in opere logico in tractatu proœmiali Sect. IV. Art. III. num. marg. 61. qui, ex mente ARISTOTELIS, sapientiam definit „per notitiam conclusionis & summorum principiorum: sed secundum hanc acceptiōnem sapientia non satis est determinata; siquidem neque latius constat, quinam habitus praestantissimus sit dicendus; neque illa datur scientia, quæ conclusiones cum intelligentia, seu, principiis, non coniungit; neque solida denique scientia concepi potest, qua ex summis, seu, primis omnium principiis, conclusiones non neguntur. Quare etiam hæc vocis suppositio philosophica non est. CONIMBRICENSES quidem l. c. p. 689. ex nobilitate obiecti, seu, ex parte rationum formalium assertiendi, sapientiam determinant; superiores nimur rationes in sapientia statuentes, quam in scientia: sed per hanc differentiam sapientia a scientia non differt, nisi quantitate intensu, que speciem non variat.

SCHOLION. 3.

§. 247. Rectius itaque STOICI fecerunt, qui sapientiam

riam, contra morem Aristotelicorum, ad habitus intellectus praticos retulerint, videatur *LIPSIVS in manuduct: ad Philosoph: Stoic: Lib: III. diss: 3. & seqq: Hoc enim modo sapientia differt.*

- (a) *a scientia, vt species a genere:* nam licet sapientia sit scientia (§. 244.); tamen scientia omnis nequaquam est sapientia;
- (b) *a Philosophia,* cuius ista pars existit: quare falsum est, philosophum verum sine sapientia existere posse; licet verum sit, sapientem, qua tales, non statim esse magnum philosophum;
- (c) *a virtute morali,* que in habita voluntatis consistit. Influit quidem sapientia in virtutes morales, que sine illa tantum sunt virtutum simulacra: sed ob istum influxum sapientia pro virtute morali minime haberi potest, vt pote quæ cognitionem veri boni, & modi bonum exequendi, tantum inuoluit, quæ sine exercitio boni non solum est conceptibilis, sed & sapientius si ne hoc inter homines existit.

*His itaque rationibus permoti, STOICOS in nostra definitione (§. 244.) secuti sumus.*

SCHOLION. 4.

§. 248. Non defunt quidem inter recentiores, qui per sapientiam habitum intellectus & voluntatis intelligunt, videatur *WALCH in Lex: philosoph: sub Artic: Weisheit, qui, „im engern und eigentlichen Verstande, inquit, ist die „Weisheit derjenige Zustand der menschlichen Seele, da „ein Mensch nicht nur das Gute und Böse unterscheidet „den kann; sondern auch eine Begierde zum Guten und „einen Abscheu vor das Böse hat; bey welcher Sache „wir zwey Stütze untersuchen müssen: als was eigent-lich*

„lich zur Weisheit gehöret; und wie selbige von andern  
 „Geschicklichkeiten der Seelen unterschieden? was das  
 „Erste anlanget, was nemlich zur Weisheit gehöre?  
 „So ist sie weder eine Geschicklichkeit des Verstandes; noch  
 „des Willens allein; sondern es wird dazu ein ganzes  
 „Gemüth, folglich Verstand und Willen zugleich erfor-  
 „dert. Sed prater alias huius definitionis, eiusque expositi-  
 onis, *deseclus logicos, hoc sapientiae definitio praesertim contra ca-*  
*nونem peccat; notio definitiva non sit copulativa.* Verum qui-  
 dem est, *S. S.* quandoque in eo sensu de *sapientia* loqui: sed etiam  
 notandum est, *S. S.* que *praxis* magis, quam *theoriam*, urget, non  
 esse *datam*, ut ex ea definitiones *logicae* euoluantur.

DEFINITIO. 2.

§. 249. Quod vero ad prudentiam attinet,  
 ea est Scientia affectiua, quæ versatur in applica-  
 tione optimorum mediorum, qua intelli-  
 gens substantia ad optimum & ultimum finem  
 perducitur.

SCHOLION. I.

§. 250. Rectius itaque CONIMBRICENSES in dispu-  
 tat: in libr: Ethic: Aristotelis ad Nicomachum disput: Oxf:  
 Qu. I. Art: I. p. m. 79. & seqq: ex mente Aristotelis pruden-  
 tiā, definiunt: „per habitum agendi vera cum ratione  
 „circa ea, quae homini bona aug mala sunt, quārā ZA-  
 BARELLA, qui Lib. I. de nat: Log: C. 2. „prudentiam,, inquit,  
 „definiens Aristoteles dicit, prudentiam esse habitum recta  
 „cum ratione actuum: quia etiam *Logica* viens est *habitus*  
 eiusmodi actiū, quod sane nonnullos induxit, *Logicam* per pru-  
 dentiam definire, videatur SWELINGIVS in clav: scipt: p. 71. &  
 CHRIST, THOMASIVS in introduc: ad prud: autie: C. IV. §. 26.

M

Datur

Datur quidem etiam prudentia logica : sed aliud est prudentia logica ; aliud Logica ipsa.

SCHOLION. 2.

§. 251. WALCH in Lex. phil. sub Art. **Klugheit**, æque ad prudentiam, ac sapientiam (§. 248.), totam mentem requirit; ita enim scribit: „Wir nennen Sie eine Geschicklichkeit, oder Gertigkeit, (qua synonymia vix philosophica est) „die man durch Fleiß und Übung nach und nach erlanget, und zwar des Gemüthes, so daß sich selbige sowol auf den Verstand als Willen bezieher.“ At Vir doctissimus, qui non bene distinguit, subordinata cum constitutio confundit, & denuo contra canonem peccat: *notio definitiva non sit copulativa.* Supponit prudentia rectitudinem voluntatis: quare bene ordinata philosophia practica sub ethicam docet prudentiam. Sed prudentia propterea non est *habitus mixtus ex habitibus voluntatis & intellectus.* Prudentia supponit etiam sapientiam (§. 244.): sed propterea prudentia non est sapientia.

REFLEXIO.

§. 252. Effectus, qui arte producitur,  
 aut est { in nobis;  
 extra nos, ita ut, etiam cessante  
 nostra operatione, duret.

COALTERNA SVBDIVISIO.

§. 253. Hinc intelligibilis est artis divisio,

(a) } [liberale] s

{ in }

(b) } illiberale] .

DEFINITIO. I.

§. 254. Est nimirum liberalis ars ea, cuius effe-

effectus duratio, a duratione operationis, pen-  
det.

SCHOLION. 1.

§. 255. AVGUSTINVS septem artes liberales numeravit: Grammaticam nimirum, Rhetoricam, Dialeticam, Arithmeticam, Musican, Geometriam, & Astronomiam. Sed ex consideratione & collatione harum artium cum aliis facile percipitur, numerum septenarium artibus liberalibus non esse adaequatum: siquidem æque omnes reliqua scientia mathematicæ, ac Arithmeticæ & Musica &c. liberalibus artibus annumerari possunt. Numerus itaque harum artium determinari nequit.

SCHOLION. 2.

§. 256. Monet quidem ZABARELLA Lib. I. de nat: Log: C. 8. quod efficere idem sit ac extra edere, seu, aliquid extra se facere: & exin contendit afferere, Logicam non esse artem; sed instrumentum; ad Aristotelis in Lib: II. Phys: dicta prouocans, ex quibus ARISTOTELES artem pro principio operandi in alio habet. At huic sententia SCHEIBLERVS in oper: log: P. I. C. 1. Quæ i. iamdiu contradixit, qui „falsum est, inquit „quod dicitur: ea tantum „propriæ effici, quæ extra eduntur. Nam effectio est „omnis ista operatio, ad quam opus sequitur, sive extra „nos, sive intra nos sit. Quibus, Vir perspicacissimus, nihil inepti afferit: quia efficere, vi notationis, similiter notat, ac exfacere, seu, effacere, ausmachen, vollführen, oder vollenden; exin subiectiva effectio tantum notat motum, quo aliquid, quod est in potentia, ad actum deducitur, sive illud sit in agente, sive extra agentem. Hinc consequentis committitur fallacia, si ZABARELLA argumentatur: si ars est habitus effectivus, ea semper aliquid extra animatum in alio, ab ani-

mo diuerso, subsistens edit: sed verum est prius; ergo & posterius.

DEFINITIO. 2.

§. 257. Ars vero illiberalis est ea, cuius effectus, cessante operatione, perdurat.

SCHOLION.

§. 258. Attamen ab his artibus, quæ etiam mechanice dicuntur, opificia, quorum caput est promptitudo manuum, differunt.

TRANSITIO.

§. 259. Ceterum ars inueniendi, de qua dudum (§. 229.) obiter diximus, inter liberales artes eminet: quare iam de ea expressius erit dicendum.

DEFINITIO.

§. 260. Est autem ars inueniendi liberalis ars, qualatentes veritates ex cognitis, quibus in uoluuntur, euoluuntur.

THEOREMA.

§. 261. Scientia igitur sine arte inueniendi integra, seu, perfecta non est.

DEMONSTRATIO.

Scientia est habitus intellectus conclusiones ex principiis deriuandi (§. 226.) ; & perfectio consistit in indefectibilitate (§. 48. diff. PRAESID: Dei): hinc scientia, quæ in conclusionibus ex principiis deducendis non deficit, est

est perfecta. Iam ars inueniendi est ars (§. 260.)<sup>3</sup>  
ideoque scientia (§. 240. 241.), qua latentes ve-  
ritates ex cognitis inuestigantur (§. 260.): ergo  
scientia sine arte inueniendi est sine ista direc-  
tione, qua latentes veritates ex cognitis, qui-  
bus inuoluuntur, euoluuntur, *per consequentiam  
immediatam ex applicatione.* Quaecunque vero  
scientia sine ista directione existit, deficit in  
conclusionibus ex cognitis principiis deducen-  
dis; & scientia, quæ hac in causa deficit, non  
est perfecta: scientia itaque sine arte inuenien-  
di non est perfecta. Q.E.D.

REFLEXIO.

§. 262. Latent vero veritates

(a)	partes;	aliquam identitatem, quam pro diuersitate circum- stantiarum, alias, aequi- pollentiam, alias, uniuoca- tionem, seu, synonymiam, alias, analogiam, &, simili- tudinem, imo, aequalita- tem, nominare solent; oppositionem.
(b)	secundum	
(c)		

M 3

DEFI-

DEFINITIO.

§. 263. Iam *ingenium*, in stricto sensu, est eattenus mentis facultas fingendi, quatenus secundum rationem sufficientem ex cognitis alia format, quæ cognitis, aut sunt similia, aut dissimilia, prout finis fingendi idem requirit.

SCHOLION. 1.

§. 264. Modus, quo *ingenium* fictiones efformat, consistit  
vel in {  
    transponendo;  
    diuidendo;  
    componendo;  
    variando;  
    reducendo.

SCHOLION. 2.

§. 265. In his *ingenii* operationibus *idem*, exercitio, ad *prom*-  
*titudinem*, adeoque *habitum*, euchi potest, quem *erectum* vocant  
*ingenium*.

DEFINITIO.

§. 266. Hinc *erectum ingenium* est illius habi-  
tus, seu, perfectio, qua facili negotio ex dato  
varias effingere valet species.

THEOREMA.

§. 267. Ars inueniendi requirit  
*ingenium*.

DEMONSTRATIO.

Ars inueniendi latentia detegit ex cogni-  
tis

tis (§. 260.), hoc est, quæ in cognitis latent & secundum analogiam, similitudinem, & oppositionem (§. 262.), quæ contrarietatem, &c, in contrarietate, dissimilitudinem, inuoluit. Hoc vero sit ingenio (§. 263.), transponendo, diuidendo &c. (§. 264.), & facili quidem negotio, erecto ingenio (§. 266.): ergo ars inueniendi erectum exigit ingenium. Q. E. D.

SCHOLION.

§. 268. Attamen *erecto* ingenio *ars* inueniendi *hanc* absolvitur. Latent enim veritates in cognitis etiam secundum partes & vniuocationem (§. 262.).

THEOREMA.

§. 269. Hinc ad artem inueniendi adhuc pertinet intellectus.

DEMONSTRATIO.

Nam ars inueniendi latentes veritates ex cognitis euoluit (§. 260.): latent vero veritates etiam secundum partes in cognitis (§. 262.). Quidquid igitur latentes veritates ex cognitis euoluit, detegit etiam eas, quæ secundum partes in cognitis inuoluuntur. Iam inuestigatio & repræsentatio omnis obiectorum per

per partes est intellectus operatio (§. 145.): ergo  
& detectio veritatum, quæ secundum partes  
in cognitis latent, ad intellectum pertinet.  
Consequenter ad artem inueniendi requiritur  
intellectus. Q.E.D.

SCHOLION.

§. 270. Vix quidem imaginatio, felixque memoria, &  
attentio, cum arte etiam faciunt inueniendi: sed mihi, ad alia  
properanti, longum abest, hæc & alia dicenda omnia theoremati-  
bus prosequi.

THEOREMA.

§. 271. Ars inueniendi est spe-  
cialis pars Logicae vtentis.

DEMONSTRATIO.

Omnis habitus latentem veritatem inue-  
stigandi est ars inueniendi (§. 260.); sed Logica  
vtens item est habitus latentem veritatem inue-  
stigandi (§. 117.): ergo Logica vtens est ars inueni-  
endi. Habitus tamen latentem veritatem inuesti-  
gandi non absolvit vtentem Logicam, quæ præ-  
terea versatur in regulis, quibus veritas inuenta  
est examinanda, cognoscendaque & propagan-  
da, seu, communicanda (§. c.): hinc ars inue-  
niendi cum aliis artibus Logicam vtentem con-  
stituit.

stituit. Quidquid vero cum aliis vnum efficit,  
illius existit pars (§. 105. diff: PRÆSID: de exist:  
Dei): consequenter ars inueniendi est pars Lo-  
gicæ vtentis. Q. E. D.

SCHOLION. I.

§. 272. WOLFFIUS quidem in *Elem: Philosoph: rationis*  
§. 74. *Disc: prælim:* aliter sentit: qui „vulgo“, inquit „Lo-  
gicæ cum arte inueniendi confunditur, quæ etsi in ea-  
dem non contemnendum habet usum, haud quaquam  
tamen eandem absolvit. Peculiaribus ea opus habet  
artificiis, quæ aliunde, quam a Logica pendent. *Facit*  
ergo Logicam artis inueniendi partem, quam *venientis Logi-*  
*cæ* partem demonstrauimus (§. 271.): sed demonstratio *nude*  
assertioni non cedit. Attamen, vt ne quis *infantia* in assensu im-  
pediat, monemus, distinguendum esse inter *artem inueniendi*  
ipsum, seu, in *actu signato*, & illius in quadam materia applica-  
tionem, seu, in *actu exercito*. Posterior plurima ex omni parte  
eruditiois cognita presupponit; quia ex nihilo nihil fit, nihil in-  
ueniri potest: sed prior haud quaquam cognitionem presuppo-  
nit eorum, quæ sunt extra Logica sphæram.

SCHOLION. 2.

§. 273. Si exempla contrarium probare credas, adscisc te  
ibi ARCHIMEDIS inventionem de cubatura sphæra ex cylindro,  
cuius basis est circulus sphæra maximus, & diameter huius, illius  
altitudo: & probabitur, istud inuentorum ARCHIMEDIS princeps,  
nullis aliis nisi logicis artificiis pendere. Cogitatbat nimirum AR-  
CHIMEDES de cubatura sphæra: non poterat, quin secundum  
regulas logicas

(a) perpenderet notionem cubaturæ, qua hæc est determinatio  
cubi, dato corpori æqualis, vel, numeri cuborum, latere de-  
termi-

N

termi-

terminatorum & æqualium, qui pro capacitate, seu, soliditate,  
dati corporis haberi potest;

(b) cogitaret de veritatibus cognatis; nimirum

(a) de cubatura corporis cuiusdam ex alio, pyramidis ex pri-  
mante, coni ex cylindro;

(b) de conuenientia sphærae & aliorum corporum cogni-  
torum, quo, deficiente cubatura sphærae absoluta, re-  
spectiva eluceret. Iam conuenientia in numero re-  
spectuum continetur, quos relatione detegere Logica  
principit.

Hinc  
(c) secundum Logicas præcepta cogitationes definitionibus  
sphærae aliquunque corporum cognatae genesis dirigendæ  
erant. Atque adeo aciem

Fig: L (a) ad genesis sphærae in partes omnes intendens, in motu  
semicirculi ABD, circa axim ACD, a quo sphæra oritur,  
animaduertebat, motum quadratum, ACB & BCD, a  
quorum rotatione hemisphæria, ABFGA & DBEFGD,  
producentur, quæ sunt sphærae, ortæ a rotatione semicir-  
culi ABD, circa axim AD, partes integrantes inter se æqua-  
les: tota vero mente incumbens

(b) in genesis corporum cognatam, comparebant cylin-  
drus & conus rectus, quorum prior a rotatione, vel qua-  
drati, vel rectanguli, circa latus, & posterior a motu rota-  
tionis trianguli reclinaci, circa catethum, oritur. Hæc

(d) iniiciabant ei causam denno ad normam logicam cogitan-  
di de veritatibus cognatis, de quadrato, nimirum diametri,  
HIKL, circulo circumscriptibili ex angulis rectis, ACB, BCD,  
DCF, & FCL, iam constructis, quo circumscripto quadrato  
HIKL, simul comparebant quadrata radii, scilicet AHBC &  
CBID, quæ per diagonales, CH & CI, in duo triangula re-  
ctangula diuiduntur. Iam ei

(e) iterum

- (e) iterum reflectenti, constabat, rotatione quadrantium, ACB & BCD, circa axin AD, pariter quadrata AHBC & CBID atque triangula rectangula ACH & DCI gyrari circa eundem axin AD, hoc est, circa latera & cathetus, AC & CD: ideoque cognoscet, non solum hoc motu perfici secundum duo hemisphaeria duos cylindros, & duos conos rectos, nimirum FH & FI, LCH & KCI; sed æque cylindrum FH continere hemisphaerium ABEFGA, & conum LCH, ac cylindrum FI hemisphaerium DFEEGD, & conum KCI. Ex quibus præmissis per regulas syllogisticas concludere poterat, & hemisphaeria, & conos, cylindrorum esse partes, & sphæram cum conis KCH & KCI cylindro KH conuenire.
- (f) Igitur reliquum erat determinare, quanta pars cylindri, vel FH, vel FI, sit conus, vel LCH, vel KCI; quanta, hemisphaerium, eiusdem baseos FGEE. De cono iam constabat, eum tertiam esse partem cylindri eiusdem baseos & altitudinis: restabat ergo demonstrare, hemisphaerium ABEFGA, & FEBGD, esse coni a cylindro, quorum basis communis, ex genesi eorum, secundum nostram hypothesis, est circulus sphæra maximus, & altitudo eorumdem communis, radius sphæra, differentiam, duabus tertiis huius cylindri æqualem. Vtique eum oportebat
- (g) cogitare de differentia ista, quæ analysin inuoluit, quam Logica meditanti imponit, quum synthesis non procedit. Quanobrem secundum hemisphaerium pariter conum atque cylindrum per sectiones, basi FGEBE parallelas, resolutebat, quæ iunctim sumtæ integrum hemisphaerium ABEFGA, conum LCH, & cylindrum FH, constituant. Has sectiones in schematismo denotare, iubebat Logica, quæ omnem abstractam cognitionem eateaus ad intuitum reducendam præcipit, quatenus id esse potest. Quare
- (h) notabat harum sectionum vnam, e.g. per r̄ MN r̄ CB  
N 2

310/ parallelam, qua ducta, animaduertebat MN, radium sectionis supra Cylindri, MO, radium sectionis coni, MP, radium sectionis infra sphæræ, & radium MO basi AH in triangulo rectangulo supra ACH parallelum. Hinc ex his & cognatis veritatibus

(i) concludebat: AC : AH = CM : MO; & quoniam CA = AH, porro inferebat: CM = MO. Perspiciebat itaque MC pro radio sectionis coni haberi posse. Præterea reflectendo

(k) perciebat CM & MP esse anguli recti CMP crura. Ex in inferendo cognoscet,

(l) extrellum P, extremo C, recta CP nexus, triangulum rectangulum CMP gignere, cuius hypothenuſa CP = CB = MN pro radio sectionis cylindri MN substitui potest. Propterea

(m) meditabatur iterum & sèpius de cognatis veritatibus:

(a) de theoremate Pythagorico, ex quo concludebat:  $CP^2 - CM^2 = MP^2$ ;

(b) de proportione quadratorum radiorum & circulorum, quam ex proportione quadratorum diametrorum ad circulorum areas eruebat. Si enim pro peripheria vbiique ponatur  $p$ , erit in cylindro & cono

$$4 CP^2 : 4 CM^2 = \frac{1}{2} CPP : \frac{1}{2} CMP$$

$$CP^2 : CM^2 = \frac{1}{2} CPP : \frac{1}{2} CMP$$

$$CP^2 : CP^2 - CM^2 = \frac{1}{2} CPP : \frac{1}{2} CPP - \frac{1}{2} CMP$$

$$CP^2 : MP^2 = \frac{1}{2} CPP : \frac{1}{2} MPp$$

Constatbat ergo argumentando, differentiam eiuslibet sectionis coni a cylindri sectione eiusdem altitudinis esse hemisphœrii sectionem eiusdem altitudinis cum sectione coni & cylindri: consequenter & argumentando constabat, differentiam coni LCH a cylindro FH esse hemisphœrium ABEFGA, hoc est, AB-



$$\begin{aligned}
 ABEFGA &= \frac{2}{7} FH \\
 \& DBEFGD = \frac{2}{7} FI \\
 \text{sed } FH &= FI = \frac{1}{2} KH \\
 \frac{2}{7} FH &= \frac{2}{7} \cdot \frac{1}{2} KH = \frac{2}{14} KH \\
 \frac{2}{7} FI &= \frac{2}{7} \cdot \frac{1}{2} KH = \frac{2}{14} KH \\
 ABEFGA &= \frac{2}{7} KH \\
 DBEFGD &= \frac{2}{7} KH
 \end{aligned}$$

$$\text{Sphæra} = \frac{2}{7} KH$$

Habebat igitur ARCHIMEDES suam de cubatura sphæræ ex cylindro inventionem solis artificiis logicis absolutam.

#### SCHOLION. 3.

§. 274. Idem appetet ex trigonometrica trianguli rectilinei, Fig. II. ABC, resolutione ex datis duobus lateribus, AC & AB, simul atque angulo intercepto,  $\alpha$ . Nam reflectendo trigonometricarum rerum gñarus intelligit, inter data non esse angulos datis lateribus, AC & AB, oppositos: quia hæc data latera datum angulum  $\alpha$  intercipiunt. Exin concludit, illationem a sinibus ad latera datis angulis opposita, & vice versa, non procedere. Inter ea reflexio ad data intensa exprimit, ea ad trigonometricam resolutionem esse sufficientia: quare de alia resolutione cogitat. Perpendit ergo quæstorum, quæ sunt præter latus BC anguli ABC & ACB, ad data relationem: ex qua concepta excipit, determinationem lateris CB a determinatione anguli, vel ACB, vel ABC, dependere. Causam igitur ei hæc iniiciunt, de determinatione istorum angularium meditari, quos intelligit esse interne oppositos ad latus CB. Hinc concludendo ex cognatis imprimis ponit, AB in D producta,  $y = ACB + ABC$ ; item,  $ACB + ABC = 180^\circ - \alpha$ . Dein cognita quæstorum angularium summa ex differentia dati anguli  $\alpha$  a summa omnium angularium in triangulo rectilineo, cogitat de determinatione utriuslibet sum-

N 3

man-

mandorum ex determinata illorum summa, quam per analysis concipit conflatam ex duplo minoris, & differentia minoris a maiori. Quunque maior item per analysis concretus cognoscatur ex minori & differentia: determinatio utriuslibet summandi ex data illorum summa in determinanda summandorum differentia eluet, cuius dimidium cum minore semisummæ esse elementa, analysis prodit. Atque ideo patet, detecta, vel differentia, vel semidifferentia, constare utrumque quæstorum angulorum, & maiorem ACB, & minorem ABC. At quæstio non est de differentia, qua tali: sed de differentia angulorum in triangulo constructibili præsertim per minorem angulum ABC, qui cum semidifferentia semisummam efficit. Propterea iam meditandum est de synthesi ex cognitis & incognitis, qua incognita ex cognitis determinari possunt. Quæ quidem Logica pariter præcipit omnia, ac iam meditationem cognata theoria dirigit, qua constat, angulos ad basin in æquicuro, item, internum & externum oppositorum ad parallelas, esse æquales. Ex his rerum mathematicarum eductus intelligit,

(a) summam quætorum angulorum per triangulum æquicurum in duas partes æquales esse diuisibilem. Cogitat ergo de constructione eiusmodi trianguli, vt finis constructionis requirit, qui est determinatio quætorum ex datis lateribus & intercepto angulo. Quapropter, quum  $j = ACB + ABC$ , & AC datum, sumit AE=AC, nequitque C & E recta CE, vt  $\Delta ACE$  sit æquicurum: atque adeo  $n=0$ , &  $j=n+o=2n$ . Hinc  $\frac{1}{2}y=n=\frac{1}{2}(ABC + ACB)$ . Hoc facto simul percipit, EB=AB-AE, hoc est, quia AE=AC, que sibi mutuo substitui possunt, EB=AB-AC, seu, differentiam datorum laterum, AC & AB.

(b) Scientia perspicit, semidifferentiam quætorum angulorum esse constructibilem, si per verticem B ducatur BF parallela  $\tilde{m}$  CE: quoniam tum  $n=ABF$ . Consequenter  $ABF = ABC + CBF = \frac{1}{2}(ACB + ABC)$ , quæ est aggregatum ex

mino-

minore ABC & semidifferentia: ideoque semidifferentia non potest non esse CBF:

Reslat igitur constructio trianguli, per quod ex datis lateribus, AC & AB, pariter cum dato angulo  $\alpha$ , semidifferentia CBF est determinabilis. Sed anguli trigonometricae, vel ex sinibus, vel ex tangentibus, determinantur: quare, quum determinatio ex sinibus non succedat, inventoris cogitationes, hac ratiocinatione disiunctiua, tangentibus, qua rectum angulum cum radio ad peripheriam constituant, diriguntur. Rectos prosequi, vtique Logica inculcat, quæ intellectus operatio inventori subiicit, angulum in semicirculo esse rectum. Quapropter facit  $AG=AC=AE$ : & ducit rectam GC, qua cum CE, ad punctum concursus C, angulum GCE in semicirculo efficit, cuius centrum est punctum A, & diameter illius recta GE, peripheria vero per puncta G, C, E, radio  $AG=AC=AE$ , descriptibilis. Hoc facto percipit  $GB=GA+AB=AC+AB$ . Ex cognitis & cognatis colligit esse GC ad EC, & GC, in H productam, ad HB perpendiculararem: ideoque  $\Delta\Delta GBH \& CBH$  non solum esse rectangula; sed & sumta BH pro radio, & B pro centro circuli, isto radio descriptibilis, GH tangentem  $\tau\bar{B}$  ABH, seu, semisummae quæsitorum angulorum, & CH tangentem  $\tau\bar{B}$  CBH, seu, semidifferentia eorundem angulorum, ACB & ABC; imo, quum CE & HB sint parallelae, esse  $GB:GH=EB:CH$ . Hac analogia, in similitudine triangulorum GBH & GEC fundata, CH, tangens  $\tau\bar{B}$  CBH, determinatur: & integra resolutio trigonometrica  $\Delta ACB$  ex duobus lateribus & angulo intercepto iterum solis artificiis logis absoluuntur.

SCHOLION. 4.

§. 275. *Eadem artificio eandem resolutionem ex aliis principiis per aliam synthesin suppeditant.* Niimirum si concludendo ex cognatis ponitur  $y=ACB+ABC$ , & y constituitur angulus ad centrum A circuli radio  $AD=AB$ , maiori laterum datorum, descripti, eius

eius dimidium existit DEB, angulus ad peripheriam eidem arcui DB insitens, cuius tangens est chorda BD, recta, seu, chorda EB, pro radio assumta: facile perspicitur, caput inuentionis esse determinationem semidifferentiaz quæstorum angulorum. Iam quum AB > AC, secundum hypothesin, ex qua Logica ratioe inia non tantum inferre, sed & ad finem perducere iubet: sane ex cognatis etiam constat, ACB > ABC. Hinc porro colligitur CBE esse semidifferentiam quætorum angulorum ACB & ABC: quoniam deprehenditur  $ACB = CEB + CBE$ . In perpetuitate inuentionis & demonstrationis Logica reflexionem præcipit: ergo artis logicae peritus reflectendo, inferendoque percipit,  $\Delta EBD$  esse rectangulum; & in eo esse BD, tangentem  $\tau\gamma$  DEB, semifumma quætorum ACB & ABC, ad EB perpendicularem, & notam ob cognitam summam & semifummam quætorum angulorum; esse  $CD = CA + AD$ , summam datorum laterum AC & AE = AD; esse  $CE = AE - AC$ , differentiam datorum laterum AC & AE = AE; esse igitur notas tres lineas, scilicet CE, CD, DB, & posteriores CD & DB, esse latera  $\Delta CDB$ ; esse denique CBE, hoc est, semidifferentiam quætorum angulorum, vel ex sinu, vel extangente, determinandam, quod, quum non succedat ex sinu ob incognitum latus CB, ex tangente linea est perficiendum, quæ est ad tres priores cognitas lineas quartæ & incognitam linea. Reflexionem Logica de novo coniungit cum cogitatione de veritatibus cognatis: hiac iam perspecta meditanti caussam iniiciunt cogitandi de determinatione quartæ lineæ incognitæ ex tribus cognitis ope simillimum triangulorum, in quib[us] latera circa angulos homologos, seu, æquales, sunt homologa, seu, proportionalia. Atque adeo cogitat de constructione trianguli triangulo CDB simili, in quo præter latus cognitum CE, inter latera simul sit tangens  $\tau\gamma$  CBE, quodque certum super latere CE ad angulos  $\Delta CDB$  est confruendum. Quare assumta BE pro radio inprimis ex E erigit EF perpendiculararem ad BE: quæ ideo pariter est parallela ad BD; eaque propter

pter DEF = EDB. Dein producit CB in G, quo GE existat tangens  $\tau \tilde{g}$  GBE, semidifferentia quæsitorum angularum, ACB & ABC, &, GCE = DCB : consequenter  $\Delta GCE \approx \Delta DCB$ ; ideo que CD : DB = CE : EG; & alternatim CD : CE = DB : EG.

SCHOLION. 5.

§. 276. Atque ex his patet, quomodo meditatio de cognatis ex datis, vel etiam pro arbitrio assuntis, per varias vias, quas Logica designat, ad eandem sapientis conclusiōnem ducat: que faciendorum quoque aliquoties diuersas resolutiones suppeditat. Etenim si in casu nostro trigonometrico (§. 274.) statim cogitas de resolubilitate cuiuslibet trianguli rectilinei ope altitudinis in duo rectangula triangua; &, de resolutione trianguli rectilinei ex datis cathethis per tangentem; facile intelliges, duos casus esse distinguendos: pri-  
mum scilicet, in quo datus angulus  $x$  est obtusus, ab Fig: IV.  
altero, in quo idem angulus  $y$  est angulus acutus; quia in primo Fig: V.  
casu altitudo CE, trianguli ACB, a vertice C ducta ad basim AB, in Fig: IV.  
D productam, extra triangulum ACB cadit, quum eadem altitu-  
do CD, trianguli ACB, in altero casu, a vertice C ad basim AB ducta, Fig: V.  
sit intra triangulum ABC. Ex quibus cognitis reflectendo, conclu-  
dendoque perficies, in primo casu per datum  $x$ , etiam  $n$ , mensura Fig: IV.  
esse determinatum; ideoque in triangulo rectangulo AEC, præter  
datum latus AC, & rectum ad E, notum esse angulum  $n$ , imo angu-  
lum  $o$ ; ex quo, & reliquis, latera CE & AE sunt determinabilia; qui-  
bus cognitis, per additionem determinatur EB, &, EB pro radio  
assumta, per tangentem CE, angulus  $u$ ; consequenter &  $s = 180^\circ -$   
 $(x + u)$ : in altero vero casu eodem modo deprehendes triangu- Fig: V.  
la rectangula, ACD & DCB; &, in triangulo ACD, præter rectum  
ad D, data esse hypotenusam AC & angulum  $y$ ; atque adeo  $z =$   
 $90^\circ - y$ ; quibus perspectis ex cognatis intelliges determinationem  
laterum, AD & CD, imo, in triangulo DCB, lateris DB = AB - AD,  
quo pro radio assumto per tangentem determinatur  $t$ ; consequen-  
ter quoque  $m = 90^\circ - t$ , &  $ACB = z + m$ .

O

SCHO-

## SCHOLION. 6.

§. 277. Quod vero ad *artificia inueniendi* attinet, quæ Logica explicat, eorumque usum demonstrat, eas sunt :

- (a) *subiectiva*, quæ etiam *formalia* dici possent;
- (b) *objiectiva*, quæ respectu priorum & materialia voces licet.

Ad *subiectiva* principaliter pertinent,

- (a) *observatio*, tam *naturalis*, quam *artificialis*;
- (b) *reflexio*;
- (c) *relatio*;
- (d) *reducio*, quæ *ingenium* inuoluit;
- (e) *ratiocinatio*;
- (f) *compositio*, seu, *synthesis*, quæ & *productionem* & *generationem* omnis generis comprehendit;
- (g) *resolutio*, seu, *analysis*, cum qua *abstractione* pariter succedit;
- (h) *variatio*, quæ itidem erectum poscit *ingenium*;
- (i) *usus symbolorum*:

& ad *objiectiva* præcipue sunt referenda,

- (a) *rerum synonymia*, seu, *enunciatio*, *identitas*, *equipollentia*;
- (b) *analogia*, tam *attributionis*, quam *proportionis*;
- (c) *conuentientia*;
- (d) *oppositio*, quæ *repugnantiam* una notat;
- (e) *notio*;
- (f) *symbola rerum & cognitionum*; in specie
- (g) *definitio*;
- (h) *propositio*;
- (i) *syllogismus*, omnesque *consequentes immediate*.

Horum autem aliorumque accuratam insituere *evolutionem* & *demonstracionem* speciminis limites non permittunt. Quod satis est, demonstrauimus (§. 271.), integrum artem inueniendi esse Logicæ par-

partem: ideoque nec dari inueniendi principia, que logicae arti in actu signato non suppetunt.

SCHOLION. 7.

§. 278. Ille quidem *WOLFFIUS*, qui se intollerantius iactat de nouis inuentionibus, & non solum in arte inueniendi, sed & huius artis principem se putat, multus est in laudandis artificis inueniendi, que *Logica vulgaris*, ut ipse loquitur, ignoret (§. 272.); sed tantummodo, ut vel vniuersalia Logicae artificia in speciali applicatione dispiere non posfit, vel noua inducat, licet nihil inopinati accidat. *Leguntur*: id principia, seu, inueniendi artificia, quorum unum vocat *substitutionis*, & alterum *reductionis principium*, que nil sunt, nisi *argumentatio*, vel ex *equipollentia*, vel ex *analogia*. *Vtrunque exempla probant*, prasertim *mathematica*. Si enim haec propositio est demonstranda: *quotus ex uno æqualium diuisorum in maiorem inæqualium diuidendorum est maior quoto ex altero æqualium diuisorum in minorem inæqualium diuidendorum*: demonstratio, sequentibus ratiociniis connexis absolvitur;

$$A > B \text{ ex } \underline{\text{hypothese}}$$

$$A = B + P$$

$$C = D \text{ ex } \underline{\text{hypothese}}$$

$$A = B + P$$

$$\frac{C}{D} = \frac{B+P}{D}$$

$$\text{sed } \frac{B+P}{D} = \frac{B}{D} + \frac{P}{D} \text{ ex } \underline{\text{equipollentia}}$$

$$\text{quia } \frac{B+P}{D} \text{ & } \frac{B}{D} + \frac{P}{D} \text{ eadem est quantitas}$$

idem vero sibimet ipsi æquale

O<sup>2</sup>

&

$$\& \frac{B}{D} + \frac{P}{D} \text{ totum}$$

$$\left( \frac{B}{D} + \frac{P}{D} \right) > \frac{B}{D}$$

$$\frac{A}{C} > \frac{B}{D} \text{ ex substitutione, quæ est conse-}$$

quens æqualitatis, seu, identitatis in quantitate, quæ  $x$ -  
qualitatem constituit. Quid ergo? num substitutio est quid-  
quam, nisi argumentatio ex æquipollentia. De vsu prin-  
cipii reductionis ipse WOLFFIVS in ratione prælectionum  
fuarum C. II. §. 15. seqq. & C. IV. §. 12. seqq: multa ad fert  
exempla, quæ vero omnia ac singula palam dicunt iden-  
titatem huius principii & argumentationis ex analogia.  
Qui enim vtitur regulis pecuniam numerandi in additione nu-  
merorum vulgarium, is percipit analogiam attributionis inter ar-  
ticulos numerorum abstractorum & species numerorum con-  
cretorum, e. g. pecuniae: qui vero ponit fractionem  $\frac{1}{4}=a$ , is  
percipit analogiam proportionis inter numerum fractum & quo-  
tum, qui est integer numerus. Et qui curuam concepit ex innu-  
meris rectis infinite paruis ad angulos maxime obtusos composi-  
tam, is perspicit analogiam proportionis inter situm punctorum  
partis curuæ, incomprehensibiliter exiguae, ad extrema istius partis, &  
inter situm punctorum rectæ ad extrema rectæ. Ex quibus aliisque  
casibus, huc spectantibus, simul adparet, WOLFFIVM hoc  
principium magnum, quod vocat analyticum, nisi prorsus con-  
fuse, tamen incomplete agnouisse: ex quo evenit, vt l. c. fal-  
se de eo §. 15. C. II. asseruerit, illud consistere in reductione igno-  
ri ad notum; quum illud consistat in reductione noti cuius-  
dam entis, nisi ad similia, tamen ad analogia, itidem nota.

TRANS-

TRANSITIO.

§. 279. Ceterum ad artem inueniendi facit etiam *methodus*: quæ tamen quoque *disciplinae* respicit. Quare de methodo adhuc paucæ sunt dicenda.

DEFINITIO.

§. 280. Est autem *methodus artificialis ordo habitualis*, quem seruat intellectus in progressu a veritate ad veritatem eiusdem generis.

EXPOSITIO.

Methodus est *ordo artificialis*, qui determinatis nititur principiis (§. 241.): & *habitualis*, hoc est, qui habitu intellectus ineft, & secundum quem hic agit, progrediendo a veritate ad veritatem, minime quidem quamlibet; sed eiusdem generis & cognitæ cognitam.

SCHOLION. I.

§. 281. Agitata est *controversia* inter Logicos de genere in definitione methodi: siquidem nonnulli negarunt, methodum esse ordinem; quod alii affirmarunt. Quod iam *hanc ad controversiam* attinet, notandum est, *eam* nos non tangere, qui ordinem & methodum in alio sumimus significatu, quam illi, qui per ordinem habitum instrumentalem, quo docemur cuiuscumque disciplinæ partes conuenienter disponere, intelligunt, & eum distinguunt a methodo, quam in processu adipiscendæ cognitionis querunt: quem nobis ordo sit modus dissimilatorum, quo secundum constantem rationem vnum constituant (§. 186. *diss: PRÆS: de Exist: Dei*): & vi huic, & methodi, definitionis (§. 280.) nobis methodus, quod his auctoribus est ordo, quem posse haberi promethodo quoque ZABARELLA in *Lib: de Meth: L. I. C. 2.* iana obseruanit. Attamen hanc sententiam adquare expendere non possimus,

fumus, nisi de speciebus methodi loquamur: idecirco eius disquisitionem ad alium locum remittimus.

SCHOLION. 2.

§. 282. ZABARELLA in Libris de Methodis L. I. C. 2. methodum definiens, inquit „methodus ample summa nil aliud esse videtur, quam habitus logicus, sive, habitus intellectualis instrumentalis nobis inserviens ad rerum cognitionem adipiscendam. At hac definitio

(a) confundit methodum cum arte inueniendi (§. 260.), quia latior patet methodo (§. 279.). Quedam enim methodus, ut ex subsequentibus patebit, ad artificia inueniendi subiectiva pertinet. Quare

(b) ea est erronea. Nam methodus, etiam *via notationis*, quia idem est ac via, secundum, seu, ad quam, incedendum est, non est ipse habitus logicus, sive, incensus, sed affectio huius habitus, modus incedendi, a quo dicitur ordinatus (§. 280.), quod vel inde patet, ut habitus logicus nihil esse poslit nisi promptitudo intellectus in agendo, que modum agendi supponit, vel naturalem, vel artificialem, quæcumque, vna cum modo agendi, logica dicitur *utens*, subiectiva sumta (§. 117.), saltem, pars existit huius, ars *nimirum inueniendi* (§. 271.); quia, ad sententiam etiam ZABARELLÆ, methodus a Logica differt; siquidem alias vniuersa ipsius de methodis tractatio inutilis & superflua haberi debet. Hinc methodus est vel promptitudo intellectus in agendo; vel modus agendi; at promptitudo dicitur habitus logicus: ergo methodus nihil notare potest, nisi modum huius habitus artificiale, qui in ordine operationis intellectus consilit.

Sed concedamus definitionem, quam falsam esse demonstravimus:

(c) ea tamen est angustior definitio. Accipit enim acutissimus

mus auctor ita late methodum, ut in ordinem, & methodum propriam dictam, seu, nomine sui generis appellatam, diuidi posit: quoniam *loco citato C. 3.*, „diuiditur, „inquit, „methodus, ita late accepta in ordinem, & methodum propriam dictam; ordinem vero postea eo modo definit, ut sub definitione methodi, vi cuius „methodus est „inserviens habitus ad cognitionem adipiscendam, non sit comprehensus; quum ei ordo sit „habitus cu- „iuscunque disciplinæ partes ita disponendi, ut „quantum fieri posse optime ac facillime illa disciplina discatur, *conf: C. II. Lib: I. de Meth:* Finis igitur methodi finem ordinis non comprehendit. Dein

(d) *bac methodi definitio non est convertibilis.* Nullus enim habitus intellectus naturalis est methodus; & omnis habitus intellectus naturalis est inserviens habitus ad cognitionem rerum adipiscendam: ergo quidam habitus ad cognitionem rerum adipiscendam inserviens non est methodus.

*His rationibus permoti, banc in scholis receptam methodi definiti-  
tionem rescidiimus, aliquamque ei substituimus (§. 280.).*

SCHOLION. 3.

§. 283. WOLFFIVS. *S. in elem: Philos: ration: S. 885.* methodum definiens inquit „ordo, quo vtimur in tradendis dog- „matiis dicitur methodus. Genus igitur definitionis nobis qui- dem conuenit cum eo (§. 280.): attamen

(a) *in definitione generis est discrepantia.* Auctori enim laudato „ordo est similitudo obvia in modo, quo „res iuxta se inuicem collocantur, vel se inuicem „consequuntur, videatur eiusdem auctoris *Philosoph:* *Prim: §. 472.* nobis vero ordo est certus modus, quo di- flincta vnum constituant (§. 281.). Quae ordinis definitio Wolffianæ est potior: quia ordo est affectio transcen-  
talis

talis unita, qua enti omni competit (§. 187. *diff: PRÆS. de Exist: Dei*); ideoque per genus transcendentale, quod supra genera transcendit, definiendus. Et quum sit, nec substantia; nec substantiale; nec simpliciter ens reale; nec simpliciter ens rationis (§. 486. *diff: cc.*); nec simpliciter absolum; nec simpliciter respectuum ens (§. 484. *diff: cc.*); constitutive certe est definieandus per modum, qui ad ordinatum entium analogiam analogice est accipiendus. Et, licet omni ordini competit similitudo (§. 524. *diff: cc.*); competit tamen tantum consecutiva. Primaria itaque logica est definitio nostra (§. 183.): quum WOLFFII sit nominalis, & consequarum nostrarum; præterea ita comparata, ut magis divisionem, quam definitionem ordinis exhibeat, siquidem definitio definitiva est disjunctiva.

(b) *WOLFFII definitio methodi est angustior definito.* Excludit enim methodum inveniendi, quæ maius versatur in tradendis, sed inveniendis, dogmatis, ut ex sequentibus patebit.

(c) *Hac definitio non satis determinat speciem ordinis methodum constituentem,* secundum quam est artificialis habitualis (§. 280.): ex qua determinatione intelligimus, methodum esse accidentalem modum habitus logici, quod vel inde patet, ut hic habitus usque eo sine methodo existat, ut hinc orta sit accidentalis eruditorum in confuse & apte doctos diuisio.

#### REFLEXIO.

§. 284. *Progredimur autem vel a notis ad ignorantia, quæ in notis certo modo latent (§. 262.): vel a notis ad nota, ut ex aliis alia nectantur.*

DIVI-

DIVISIO.

§. 285. Hinc *methodus* in duas abit *species*:

quarum { vna dicitur *heuristicā*;  
          { altera vero *didascalica*.

SCHOLION.

§. 286. *GVNDLINGIVS* in via ad veritatem P.I. L.III. C.I. §. 4.  
barum specierum differentiam negat: „facile potest,, inquiens,  
„ostendi, non aliter doceri veritatem, quam inueniri, in-  
„que calum laborasse omnes, qui in didascalica metho-  
„do elaboranda oleum atque operam consumsere. Sed  
dubito, veritatum proponendarum inuentores ac principes Viro-  
cum celeberrimo facere, quibus perspectum est, inuerso prorsus  
ordine inventionis inuenta fæpissime esse proponenda. Nobis  
aliud est, dogmata aliorum auctorum in scriptis suis euoluere, &  
in suum aliorumque usum construere: aliud veritatem latenter  
proprio marte inuenire & detegere. De priori studio concedi-  
mus, nullam esse differentiam inter inueniendi & proponendi me-  
thodum; quia in illo non datur inuentio veri nominis: de po-  
steriori vero differentiam confirmamus, quam nemo non negat,  
qui vel perpendit methodum, qua dogmata arithmeticæ proponun-  
tur, eamque refert ad illam, qua ista dogmata sunt inuenienda &  
eruenda.

DEFINITIO. I.

§. 287. *Methodus heuristicā* est *methodus*, qua  
progredimur a notis ad ignota, quæ in notis  
suam habent rationem sufficientem.

SCHOLION.

§. 288. *Hanc methodum WOLFFIVS* in El: Phil: rat: §. 885.  
ad morem *CARTESII* analyticam vocat, qui in fine Resp: ad  
P obiect:

*objet: secund:* „duplicem apodictice demonstrandi rationem agnoscit: unam per analysin, quæ veram viam ostendit, per quam res methodice, & tanquam a priori inventa est &c: alteram per synthesin, quæ vritur longa definitionum, petitionum, axiomatum, theorematum & problematum serie, vt si quid ipsi ex consequentibus negetur, id in antecedentibus contineri statim ostendat, siveque a lectore, quantumuis repugnante ac pertinaci, assensionem extorqueat &c: videatur MEYER in prefatione ad Renates des Cartes Principiorum Philosophie P. I. & II. more geometrico demonstratas per BENEDICTVM de SPINOZA. Sed haud vniuersam methodum inueniendi esse analyticam, ex sequentibus patebit.

DEFINITIO. 2.

§. 289. *Methodus didascalica* est methodus, qua ita progredimur a notis ad nota reliqua eiusdem subiecti generis omnia, vt optime & facillime addisci possint.

SCHOLION. I.

§. 290. Iam, qui methodum didascalicam negant, eam doctrinæ ordinem vocant, per doctrinam, obiectu sumtam, intelligentes acquistam cognitionem aliis proponendam. Ethi sunt, qui *methodum inueniendi* simpliciter methodum vocant, nullamque aliam admittunt, nec de methodo concedunt, eam esse ordinem (§. 281.). Sed nos ita argumentamur: quæcunque eiusdem sunt indolis, seu, notionem habent communem, ea sunt cognomina, seu, vniuoca: ergo methodus, & sic dictus ordo doctrinae sunt vniuoca, vterque est methodus. Notio vero vtrique communis est progressus a veritate ad veritatem (§. 284.).

SCHO-

SCHOLION. 2.

§. 291. WOLFFIVS loco citato (§. 288.) methodum didascalicam syntheticam appellat: sed quum synthesis etiam inuentio nem iuuet, vt ex sequentibus patebit, male proponendi methodus simpliciter synthetica dicitur.

REFLEXIO.

§. 292. Progredimur autem a notis ad ignota

- (a) resoluendo composita in simpliciora vsque ad simplicias;
- (b) componendo simplicia vsque ad maxime composita;
- (c) comparando, vel conuenientia, vel repugnantia & opposita.

DIVISIO.

§. 293. Hinc quatuor oriuntur heuristicæ methodi species: nimirum

- |     |   |          |             |
|-----|---|----------|-------------|
| (a) | } | methodus | analytica;  |
| (b) |   |          | synthetica; |
| (c) |   |          | relativa;   |
| (d) |   |          | composita.  |

SCHOLION.

§. 294. Ex hac divisione non solum conficitur, vt methodus inueniendi vniuersa haud quaquam sit analytica, quod supra (§. 288.) monuimus: sed & vt illa, qui per analysis vniuersam inuentiorum methodum notant, discernenda confundant, & euoluenda inuoluant. Horum itaque causam non ita valde defendit BERNARD LAMY in *Elementis des Mathematiques*, qui C. II. L. VII.

„Ne nous,, inquit,, arrêtons pas, a ce que signifie le mot  
grec *Analyse*, qu'on traduit françois, *Résolution*. Tâ-  
chons, d'avoir vne notion si claire, de ce qu'on entend  
aujourd' huy par le mot *Analyse*, que nous pouissions  
deduire de cette notion, ce qu'on doit faire, lors qu'on  
se sert de cette méthode.

DEFINITIO. I.

§. 295. Est autem *methodus analytica* metho-  
dus heuristica, quæ a compositis procedit ad  
simpliciora.

SCHOLION.

§. 295. *Singularia* magis sunt composita, quam *specialia*,  
& *specialia* maioris sunt compositionis *uniuersalioribus*: ergo  
*methodus analyticus* etiam procedit a *singularibus* & *specialibus* ad  
*uniuersalia*. Attamen *analytica methodus* ex hoc peculiari eius  
processu non est definienda: quoniam hic illam non exhaustit, nec  
inter se reciprocantur ambo; procedit enim *analysis* etiam ab effectu  
ad causam, & a fine ad media. Quare alii *analyticum methodum* &  
*methodum a posteriori* appellare solent. Ceterum ex *methodi ana-*  
*lyticae* legibus *methodus erotematica* exurgit.

DEFINITIO. II.

§. 297. *Methodus synthetica* est *methodus*  
heuristica, quæ a *simplicibus* procedit ad *com-*  
*posita*.

SCHOLION. I.

§. 298. Errant igitur, qui omnem *synthesin* ad *methodum*  
*didasalicum*, seu, *ordinem doctrinae* referunt (§. 291.). Verum  
quidem est, ut *synthetica methodus* cum proponendis dogmatis  
mul.

multum faciat, quod recte loco citato (§. 294.) obseruat LAMIVS:  
sed falso est.

- (a) uniuersam & singularia esse syntheticam;  
(b) omnem synthesis, ad ordinem doctrinæ pertinere.

SCHOLION. 2.

§. 299. Vniuersalia sunt simpliciora specialibus & singularibus: hinc synthesis quoque procedit ab vniuersalibus ad specialiora vsque ad singularia; unde synthesis pariter cum methodo didascalico facit (§. 251.). Attamen methodus synthetica a descensu ab vniuersalioribus ad ea, quæ videntur magis particularia, definiri non potest: quia pariter procedit a causa ad effectum, & a mediis ad finem. Atque adeo alii hanc methodum vocant methodum *a priori*.

DEFINITIO. 3.

§. 300. Methodus relativa est methodus heuristicæ, quæ ex respectu a noto ad ignotum procedit.

SCHOLION.

§. 301. Hanc methodum sapient adhibent Geometræ: sed Logici plerunque omnes ab ea absunt.

DEFINITIO. 4.

§. 302. Methodus denique *composita*, seu, *mixta*, est methodus heuristicæ, quæ alternatiue, analysis, synthesis, & relatione ytitur, prout meditationis status & situs requirit & admittit.

SCHOLION.

§. 303. Huius methodi exemplar supra (§. 273. seqq.) deditus, ex quo inueniendi methodi arbitrarieras simul emergit.

REFLEXIO.

§. 304. *Respectus*, heuristicæ methodi relatiæ fundamentum, a noto ad ignotum procedendi, *duplex* existit: scilicet

(a) *conuenientia*;

(b) *disconuenientia*, nimirum oppositio,  
& repugnantia.

SVBDIVISIO.

§. 305. Hinc relatiua methodus est diuisibilis

(a) in methodum *conuenientie*;

(b) *disconuenientie*, *oppositionis*  
scilicet, & *repugnantie*, quam  
posteriorem etiam methodum  
indirectam, seu, per deductio-  
nem ad absurdum vocant.

DEFINITIO. 1.

§. 306. *Conuenientia* igitur methodus est me-  
thodus relatiua, quæ ignota ex eo determinat,  
in quo cum notis sunt idem.

DEFINITIO. 2.

§. 307. Methodus vero *disconuenientia*, seu,  
*disparitatis*, *oppositionis*, & *repugnantie*, est metho-  
dus relatiua, cuius fundamentum ignota ex  
notis determinandi est discriminem, quod notis  
cum

cum ignotis intercedit, ita, ut propter illud idem esse non possint.

REFLEXIO.

§. 308. In progressu a notis ad nota eiusdem subiecti generis, quo optime & facillime addisci possint omnia, vel ad materiarum cognitionem tantum; vel primario ad demonstrationem & conclusionem attendimus.

DIVISIO.

§. 309. Hinc methodus didascalica, quæ a notis ad nota ita procedit, ut omnia eiusdem subiecti generis optime & facillime addisci possint (§. 289.), diuisibilis est in duas species:

quarum { vna scholastica, seu, vulgaris, }  
altera vero demonstrativa & { dicitur:  
artificialis }

DEFINITIO. I.

§. 310. Scholastica itaque methodus est methodus didascalica, cuius norma necendi simpliciter est identitas subiecti.

EXPOSITIO.

Quilibet nimirum doctrina habet suum subiectum genus, quod subiectas comprehendit species. In has viñas scholastica methodus est intenta: ut scilicet ad idem subiectum spectantia omnia ad eundem quoque referan-

ferantur locum, sine habita ratione nexus formalis, quo animi conuictio conficitur.

## DEFINITIO. 2.

§. 311. Et quod ad *methodum demonstratiuam* attinet, ea est didascalica methodus, cuius norma est nexus formalis, quo ad idem subiectum spectantia eatenus ad eundem locum referantur, quatenus demonstratio hunc *nexus materialem* non refutat.

## SCHOLION.

§. 312. Quoniam *methodus didascalica curat*, ut omnia facillime addisci possint (§. 289.); & *determinatio modi cogitandi*, quo a discente proposita sunt persequenda, queque peculiaribus absolutum nominibus, iuuat, ut *proposita omnia* facillime addiscantur: sane etiam *methodus demonstratiua titulos* vrget, cuilibet generi proponendorum *competentes* (§. 311.). Hinc WOLFFIVS contra *huius methodi* primarium requisitum agit, qui *eiusmodi titulos in operibus suis philosophicis* simpliciter negligat; licet in *ELEM: Philosoph: RAT: §. 793.* bene note *infligunt* eorum utilitatem. Sed certe nec *sine ratione sufficiente* *illos* negligit *titulos*: siquidem hoc artificio

- (a) *ratio scribendi* tantum leuatur, quantum idem *lectionem grauat*;
- (b) *latebre acquiruntur*, in *quas* se conuicere solent, *quos* vires legitime & accurate *argumentandi* deficiunt;
- (c) *defectus*, imo, *errores* in *argumentando*, facilis negotio absconduntur.

Quapropter, licet verum sit, istum *demonstratiua methodo* sua *non tradere*, qui singulis proponendis definitos *titulos* pra-

*proponit, exploratius tamen est, istis titulis uti, præsertim cum neque is mathematica methodo proponenda curius tradat, qui istos titulos simpliciter negligit.*

SCHOLION 2.

§. 313. Non desunt quidem, qui hanc proponendis methodum Geometrarum Serperastrum vocant: sed aut agunt Hermodorum, qui verba importat, & contemnunt, quod ignorant; aut intelligunt abusum hujus methodi, qui consistit vel in ridicula imitatione istis, que illegitimis definitionibus & argumentationibus, ino sèpius absolvitar meritis cirationibus antecedentium paragrapchorum, quæ iisdem loquuntur verbis, quibus neque a priori neque a posteriori aliiquid demonstrari potest, vel in applicatione minus arguta ejusdem ad res superiorum facultatum & historicas, quibus ista quidem methodus non omnino inimica est & infesta, attamen apud eas minime ita collocari potest, quam apud res mathematicas, quia illæ non solum interne differunt ab his, sed & alio coherent ordine, quod cupiditate hujus methodi ardentes non semper attendunt.

SCHOLION 3.

§. 314. Ex his (§. 313.) patet, methodum demonstrativam abjicientes aut agere ex prejudicio ignorantie; aut committere fallaciam dicti simplieriter: sicut contra studiosi hujus methodi non nulli tantum feruntur infensi in *denominationes* ex parte Mathematicis solitas putantes istos terminos, quibus proponenda sunt distinguenda, obscuritatem involvere, falsum inducere amicitationem modi proponendi; sed ut mihi videtur propterea, quod potestatem horum terminorum ignorant, nec varietatem cogitationum suarum satis cognitam habeant, ideoque obscuritatem secundum quid confundant cum obscuritate absoluta, & denique

Q


com-

committant fallaciam a non causa ut causa, præterea neque animo complectentur opportunitates, quas charlataneriae concedunt, quæ hac methodo geri potest, si denominationes propounderorum negligere simpliciter cuilibet fas est (§. 312.).


TRANSITIO.

§. 315. Hæc de methodo. Essent quidem adhuc plura dicenda: sed a nostro scopo aliena, quæ igitur missa facimus (§. 118.). Sequitur ergo (§. 106.) in specimine secundo symbolologie deliciatio generalis, quæ partes hujus discipline adumbrat, ideoque Philologicæ & maxime artis characteristica indolem determinat, cuius præcepta Matheesis multis & præclaris illustrat speciminibus.





*Fig. I.*



D

G

H

I

J

K

L

M

N

O

P


Q

R


S

T


*Fig. II.*




*Fig. III.*



*Fig. IV.*



*Fig. V.*





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-742428-p0135-9

DFG



Pe 2894

ULB Halle  
002 117 304

3




sb

66/546

VD 78

D  
A  
M  
A  
N



2

# POLYMATHIA MATHESEOS

SEV  
HVIVS  
IN  
RELIQVM VNIVERSÆ ERVDITIO-  
NIS AMBITVM

# INFLVXVS

QVAM  
DIRIGENTE

# DANIELE STRÆHLERO

PH. P. P. O. & MATH. EXTR.

IN  
QVADRVM NVMERVM QVE REDEGIT

# FRIDERICVS AB ARENSTORFF

EQUES IVTHA - DANVS.

---

HALAE SALICAE  
LITTERIS LEHMANNIANAE VIDVAE.  
AN. MD 60 XXXV.